Adhaerere debet ad edit. Herburti Chron. Polon. ib. eod.

#

MICHALONIS LITVANI

DE MORIBVS TARTARORVM, LITVANORVM ET MOSCHORVM, FRAGMINA X. multiplici Historia referta.

ET,

IOHAN. LASICII POLONI

DE DIIS SAMAGITARVM, CÆTERORVMQ. SARMATARVM, ET FALSORVM CHRISTIANORVM,

Item

DE RELIGIONE ARMENIORVM.

Et de initio Regiminis Stephani Batorij.

Nunc primùm per

I. IAC. GRASSERVM, C.P.

ex Manuscripto Authentico edita.

BASILEÆ,
Apud CONRADVM WALDKIRCHIVM.
M DC. XV.



ILLVSTRISSIMO DOMINO,

OCTAVIANO ALEXANDRO,

PRINCIPI PRONSCENSI,

DOMINO IN BERESTETZKO, ET RHEZAN, &c:

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO.

QVOTIES Heroicum tuum animum, ILLVSTRISSIME PRINCEPS, in familiari illa conuerſatione, qua me, rerum Theologicarum & Hiſtoricarum igitur, perquam gratioſè hactenus dignatus es, tacitus mecum arbitror & ſuſpicio, non poſſum non diuinæ illius meminiſſe ſententiæ, Magnum Virtutis principium, vt paulatim exercitatus animus, viſibilia & tranſitoria primum commutare, vt poſtmodum poſſit derelinquere. Delicatus ille eſt adhuc, cui Patria dulcis, fortis autem cui omne ſolum Patria, perfectus verò cui mundus exilium eſt. *Hugo de ſancto Victore in Didaſc. l.3.c.2.* *Patriâ enim, quæ te in clariſſimorum Magnatum ſinu quam ſplendidiſſimè fouiſſet, tenerrimæ adhuc ætatis Adoleſcens, cum D. IVLIO, fratre tuo vnico, quem Deus ad cæleſtem Patriam ante biennium Maſſiliæ euocauit, diſcedens, non modò ex remotiſſima Poloniæ prouincia, in ſupremos hos Germaniæ fines profectus es, vbi omnium Facultatum celeberrimorum Doctorum Lectiones, Diſputationes, & Promotiones,*

quæ singulari quodam fato Basileæ sunt creberrimæ, tanto egregia quæuis discendi studio annis aliquot frequentasti, vt Ecclesiis illis, quas Deus in Dominijs tuis Amplissimis sibi collegit, gratulari meritò possimus, Euergetem illas habituras, qui in Virtute & Doctrina multiplex, ipsis quam optimè sit prospecturus: sed & Gallias, Italiam, & ad Balearicas vsq. Insulas Hispaniam tanta felicitate perlustrasti, vt pro ingenij tui sublimitate illarum regionum, Linguarum æquè ac morum, legumq. singularem & admirandam prorsus acquisiueris notitiam.

Efficacissimum autem ad huiusmodi Heroicos ausus incentiuum fuit, Maiorum Tuorum religiosa memoria. Quantus enim, Deus bone, Tritaui *tui* Pater *fuit,* RVRICVS, *potentissimus ille totius* RVSSIAE *Princeps, qui duodecim suis filijs, septem Amplissimos Ducatus reliquit, Kijouiensem nempe, Vlodomiriensem, Halicensem, Czemiechouiensem, Preaslauiensem, Rhezanensem, & Pronscensem.*

Tritauus *tuus, quod cum Rhezanense celeberrimum Pronscensem Ducatum possedisset, illustrissimum illud* PRONSCII *nomen in hunc vsq. diem posteris reliquit.*

Atauum *tuum* GEORGIVM PRONSCIVM, *Casimirus Magnus, Poloniæ Rex tanti fecit, vt illum, cum apud Tartarorum Ducem detineretur, augustissima Legatione liberaret, & quam honorificè Vilnam in Lituaniam deduceret, eumq. contra Moscum cum exercitu mitteret, ipsi etiam pro impetrata victoria, & alijs singularibus præstitis patriæ officijs, communi totius Regni suffragio, amplissima Dominia donaret. Duxit ille serenissimam Principem Solomiriensem, Heroinam laudatissimam.*

Frater eius, cuius iniuriis in diuisione hæreditatis animosè restitit, Magni Moscorum Ducis sororem duxit, ex qua duos reliquit filios, ex quorum posteris vnus, superiore seculo proprijs sumptibus tria millia Equitum, contra Stephanum Batorium Magno Moscorum Duci in auxilium adduxit.

Dice-

Dicebantur hi duo fratres, vt & ipsorum Maiores, Magni Duces Pronscenses, vt ex pactis & priuilegijs Lituaniæ Cancellaria abundè probat: Pacta enim & fœdera Duces Pronscenses cum Poloniæ Regibus pepigerant.

Abauus *tuus Hleba, vxorem habuit filiam Tiuonis Vilnensis ex familia Podbipentorum, qui contra Tartaros fortissimè dimicans, prope Mynscium obijt.*

Proauus *tuus, Vrbis Baiala Cerkievv, fundator, pro præstitis Reipublicæ Polonicæ varijs beneficijs Palatinatum Kijouiensem & aliquot in Russiæ finibus præfecturas meritus est.*

Auus *tuus Fridericus, Palatinus Kijouiensis, duxit Bogussi Bohouitini, Magni Lituaniæ Ducatus Thesaurarij, Viri Maximi, & apud exteros Principes acceptissimi filiam, cuius soror Tenczynio Palatino Cracouiēsi primò, deinde Principi Radziuilio Palatino Vilnensi nupsit, ex quo, Deo ita benedicente, Ioannem qui in Dania obijt, & Illustrissimorum Principum Sclucensium, Georgij videlicet, Simonis & Alexandri matrem progenuit.*

Aui *huius tui Gener fuit celeberrimus ille Regni vestri Senator D. Ioannes Zborouius, Castellanus Gnesnensis, cuius industria Rex Stephanus Batorius feliciter in bello Dantiscano vsus est.*

Pater *verò tuus Alexander Princeps Pronscensis, omnes penè Adolescentiæ & Iuuentutis suæ annos hinc inde apud exteros peregit, linguis, bonis artibus & moribus, ac omnigenæ Virtuti, naturali quodam instinctu deditissimus, ac propterea non minus litterarum ac litteratorum, quam omnium omnino in quacunque salutari scientia excellentium per totam suam vitam Mecænas, & Patronus cum admiratione summus: vbi verò ad perfectiorem progressus est ætatem, Heroicarum Virtutum suarum primordia, in aula Caroli IX. Francorum Regis, quasi in amplissimo mundi Theatro, diuersis conspicienda exhibuit nationibus.*

Electionis noui Regis tempore in Poloniam reuerſus, ob amorem Patriæ, & maximarum Virtutum diuinam perfectionem, quã omnes Regni Præcones mirabantur, in ſenatoriũ ordinem aſcitus, Caſtellanus Trocenſis factus, & vnanimi Magni Ducatus Lituaniæ conſenſu, cum Palatino Vilnẽſi Legatus in Gallias electus eſt, vt Henricum Regem peteret, & in Poloniæ Regnum deduceret, apud quem quanta polluerit gratia, nemo eſt in tota Polonia qui ignoret.

Quam promptus autem ille fuerit ad quæuis Patriæ præſtanda officia, teſtatur Poloczko, Pskoua, &c. dum proprio ſumptu militem ſatis numeroſum Regi Stephano adduxit. Nec vlla vnquam Tartarorum contigit incurſio qua non fortiter heroicam ſuam frontem oſtenderit, patriæ ſalutem non conſilijs modò, ſed ſuis manibus ſtrenuè defendens. Teſtatur hoc tota Volinia & Rußia: teſtatur Olisko, vbi exigua ſuorum militum & Aulicorum manu, cohortes Tartaricas inuaſit, & per duas horas prӕliando, te inter cæteros hoſtes Polyphemum quendam Tartarum, furioſè ſeſe defendentem, proprijs manib. occidit, victoriaq́; potitus eſt.

Extollit illuſtrißimum huius Alexandri nomen Redka, vbi hoſtium quam plurimos cepit: Trophæa meditatur Bereſteczko. Norunt etiam alia quam plurima loca, quàm cautè vigilarit Tartarus, vbi Heroem Pronſcium appropinquaſſe intellexit.

Vt ſemel autem omnia dicam, nullam vnquam pientißimus tuus Pater, de Patria, quin vniuerſo Chriſtiano orbe bene merendi, & infideles Barbaros domandi intermiſit occaſionem. non ſumptuum magnitudini, non capiti proprio pepercit. Totum ſe ſuasq́; res omnes Deo & Patriæ, animo quàm religioſiſſimo ſemper conſecrauit.

Laudatißimis huiuſmodi Maiorum tuorum veſtigijs, vt inſiſtas ſedulò, Affinis tui deſideratißimi, Illuſtris & Magnifici Herois D. RAPHAELIS LESCINII, Comitis de Leſno &c: Palatinidis Preſtenſis, Cuiauienſis, Caſtelani Viſlicenſis &c: hortatur

hortatur & illicit exemplum, qui inter Regni veſtri Proceres, Virtute & Eruditione eminentißimus, ſingulari ſtudio, Dei gloriam, Eccleſiæ Pacem, & Reipub. felicitatem vſq́; & vſque promouet.

Quando verò Illuſtrißime Princeps, Germanorum, Gallorum, Italorum & Hiſpanorum ingenia & mores inſpexiſti hactenus prudentißimè, & poſt reditum tuum in Patriam, quem nunc deſtinas, proculdubio cum Tartaris & Moſcis nonnunquam ſis armis congreſſurus, opuſculum hoc, quo huiuſmodi hoſtium vita deſcribitur fidelißimè, inclyto tuo nomini inſcribere & conſecrare meritò volui. Prior autem libellus anno 1550. in gratiam Sigiſmundi Auguſti, Poloniæ Regnum ſuſcipientis, alter verò anno 1580. Alexandri Ducis Sclucenſis conſcriptus fuit. Deprehendi vtrumque manuſcriptum apud Amicum quendam inter chartas celeberrimi quondam noſtri Typographi Petri Pernæ, cui vt ederetur, ex Polonia miſſus fuit.

Suſcipe ergo Muſas, Regi maximo, & Principi tibi agnato quondam conſecratas, ſuſcipe Muſas rediuiuas ex Polonia olim Baſileam miſſas, vt lucem viderent publicam. Faueat Deus Optimus & Maximus Tutelaris, omini, quod felicißimum auguror, quando vel Opuſculi huius Genius, non niſi tecum, & ſub Illuſtrißimi tui Nominis auſpicijs, in Patriam redire voluerit. Vale Princeps Illuſtrißime. Baſileæ Kal. Octob. 1614.

Illuſtriſsimi tui Nominis

ſtudioſiſsimus

IOHAN. IACOBVS GRASSERVS, C.P.

Michalonis Litvani,

DE MORIBVS TARTARORVM, LITVANORVM ET MOSCORVM, fragmina decem, multiplici Hiſtoria referta.

Fragmen Primvm.

TAMETSI Tartari, barbari & inopes habeantur à nobis, gloriantur tamen continentia vitæ, & antiquitate gentis ſuæ Scythicæ, aſſeuerantes eam ſemen eſſe Abrahæ, & nemini ſeruiuiſſe vnquam, licet vexatam interdum ab Alexandro, Dario, Cyro, Xerxe alijsque Regibus & populis potentioribus: & varias nunc diuiſam in Ordas, id eſt, nationes. Siquidem vltra vicinos nobis Precopenſes, complicesque eorum Belhorodenſes, & Dobricenſes Moldauiæ finium accolas, Ordę ſunt potentes, Precopenſibus infenſę, Orientem verſus. Alia Nahai, alia Chaſtorakani, alia vltra amnem Tanaim, qui Volha appellatur, Zavvolſca, Cæſaris Bati Vngariæ vaſtatoris patria, Moſchorum olim & omnium Ruthenorum dominatrix, Nahaienſibus nunc adhærens, alia Kozanij, alia Kazaczka, item Buchar, Samarchan, & aliæ dicuntur plures, XII. Imperatoribus diſpartitę, vt promiſerat Dominus progenitorē eorum Iſmaëlem Geneſ. 17. duodecim duces generaturum, & euecturum in magnam gentem. Ex omnium autem nationum Tartaris ſoli tenuiores, ſed regionibus noſtris citimini Precopenſes, infeſti ſunt nobis, cum ignauia freti noſtra tum vicinitate, locorumque opportunitate receptaculi ſui. Habent verò Precopenſes receptaculum, ſuapte natura mu-

12. Ordæ Tartarorũ.

Taurica Chersonesus.

nitum. Lacus enim duo palustres, quorum alter Meotis dicitur ex mari in continentem ad circiter triginta milliaria, in longum porrecti, & seorsum tantundem penè in initiis & progressu suo distantes: finibus verò ad inuicem reflexi, & angusto quodam interstitio sicco cohibiti quin congrederentur, desinentes: iunguntur ibi fossa & vallo altius exaggerato, complectente portam, quæ vnica est ingrediendi prouinciam illam per aridum. Vnde & Castellum ad portam illam situm, & tota sinu illo inclusa peninsula, appellatur à nobis Prekop, cui Tauricæ aliàs nomen fuisse fertur: Incolatus verò & imperium Græcorum Trapezuntinorum, ut hucusque retinent Græci suam & ibi linguam Græcam & religionem. Adiacet autem peninsula ea ipsa mari Pontico, quod illa ex parte pontus Euxinus dicitur, & quamuis munita sit situ, non adeò tamen illis suis, nec lacubus amplis, nec fossa nec vallo arduis, neque Castello firmo, vt arceretur à transitu exercitus paulò instructior. Et peruenitur ad portam Tauricæ unicam illam ab arcibus vltimis Lituaniæ Czerkasi & Braczlavv, diebus sex, graminosis semper & planissimis vbique campis, non monte interpolatis vsquam, non sylua non palude, nec amne transmissu difficili, præter Borysthenem. Sic enim ipsa Taurica citra Alpes & maritima, quæ montosa passim, habet & syluosa, & quæ nunc ab Aboriginibus Græcis inhabitantur: aliàs verò, tota est campestris, Tartaris illic incolatum præstans, & ubique victui mortalium commoda & facilis, facilis admodū Cerere, Libero, carne, & sale. Siquidem sal ibi in lacunis, quibusdam aquis in se, ad instar glaciei, à calore solis concretis nascitur, à solsticio æstiuali copiosus & pellucidus, nonnullibi ut crystallus. Et frumentum omne, ac vuam vini generat ibi copiosè tellus, semel subacta, & fronde occata vtcunq;.

Solum Tauricæ.

Pecora item & iumenta hyeme quoque in pascuis, & sub dio semper fouet læta. quæ etiam fatigis exinanita macilenta & strigosa, postquam abijciuntur, ibi in campo repinguescunt. herba floccida, calcitratu ex niuibus quæsita, haud infelicius quam melioribus pabulis & sub tecto apud nos. Quoniam & cęlum ibi est aliquanto clementius; & terra vbi cænosa ibi salsa. & herbæ genus sapidius quoddam, semper virens, & mirum in modum iumenta

menta

menta vegetans, quod appellatur Tipecz. Vnde tantam olim frequentiam incolarum fuisse ibi memoratur, quod singulę quædam illic ex vrbibus Græcorum, millena habuerint templa, & clero interim insolenti adeò, quòd non nisi equites ingrederentur sanctuaria antistites & Archimandritæ eorum. Atque nunc etiam vrbes ibi nonnullæ quamuis pessundatæ, amplitudine tamen ambituum suorum & ruinarum, superbæ olim fuisse apparet, & præsertim quę à nobis Solhoth, à Moscis Krym, à Græcis Theodosia appellabatur quondam, & metropolis vetusta Korssunij, quæ genti Ruthenorum princeps dedit baptisma & nomen Christianum, postea verò prædam gentibus nostris, excisa ab eis. Vnde Kiovvia nostra in templorum suorum lithostrathis, asarotis, & incrustamentis, retinet hucusque certa prædæ illius insignia, è quibus & Gnesnensi Basilicæ valuam largita est. Et illa ipsa Korsunij tractata sic à nostris, dedisse fertur iactura sua necessitatem Tauricensibus Christianis, luxui & ignauiæ deditis, recipiendi in suppetias ad feudalem incolatum, reprimendis gentibus nostris, manum Tartarorum ex Orda Zavvolska adscitam. Et sensim deinde inualescens ibi illa Tartarorum vis, ad iustumque populi examen propagata, protulerit sibi in principem Temirkuthla quendam sanguinis sui, appellato eo Cæsare. At progenitores S. Mtis Vestræ perdomitis Cæsarianis illis, iniquis Græcorum Vasallis, dabant eis in Cæsares, subditos suos hinc ex Lituania Tartaros. Vltimus verò ex Lituania Cæsarum Aczkirei, hic apud Troki natus, & hinc à divo Withovvdo ad imperium illud missus, genuit imperans ibi in Taurica filium Menglikirei. Menglikirei verò modernum Cæsarem Sapkirei & fratres eius natu & imperio priores, Machmethkirei, Sadetkirei & CHaskirei. Sic enim nobili recepta hinc progenitoris sui nomenclatura, gaudet nunc omnis sequens eum in fascibus illis posteritas. Hæc igitur est Kireorum stirps, dextra forti progenitorum S. Mtis Vestræ ibi plantata, quæ nunc referendo gratiam prouectionis suæ, iugefacessit nobis negotium. Atque vigente sic Taurica & populo & imperio iam aduenarum: urbes tamen eius Mancup, Caffa, Kercze, Kozlevv, & aliæ maritimæ, seruauerant se immunes ab illis, donec Turcica manu, opi-

Christiani in Taurica.

Tartari in Tauricam acciti.

Vixit Vitoudus 1380.

bus Constantinopolitanis exaucta, caperentur ab annis hinc circiter septuaginta. Et illinc missi sub iugum Turcæ, pendunt ei censum, à capitibus suis singuli illic Aboriginum Græcorum superstites. Qui tametsi & nunc agricolæ, videlicet vinitores & pastores, non inopes sint, imò etiam non sine argentea supellectili plerique, vtpote in tranquillitate & iusticia publica, rationabiliore Ethnicorum administratu viuentes, minùs tamen iucundam agunt ibi vitam. Quippe, qui nullo honore digni, imò nullius omnino reputationis habentur à potitoribus rerum Machometicis, ac omni illorum nedum commercio, sed & intuitu non toruo dedignantur, angarianturque laboribus, dominicis præsertim, ac etiam Paschalibus diebus, ipsimet argenteæ suppellectilis domini. Nequaquam enim retinet authoritatem ibi Christianus, nec in seruum nec in filium paulò proteruiorem, qui scilicet Magistratui se præsentandum duxerit semel. Atque etiam ipsi patrifamiliâs mutandus est status, si defertur præsumpsisse de religione ipsorum quicquam verbo, aut saltem digito uno, & minus etiam seriò protenso.

Conditio Græcorum in Taurica.

Iam verò quàm inconstans sit vicissitudo rerũ, vel ipsa sufficit indicio Taurica, videns nunc mutatum sic popularium suorum statum, & patritiorum superstites, honore, libertate simul ac patribus orbatos, in servitutem redactos, spretos, capite diminutos, capiteque censos Machometicis, & antistites illos, insolentes quondam ecclesiarum Dei contemptores, contemptos nunc ipsos, & abiectos, obreptare sub trucibus Tartaris & Turcis. Vrbes quoque suas opibus immensis, superbia, læticia, ac omni luxuriæ strepitu perfunctas, dehiscere nunc plerasque inanes, ceteras verò solo æquatas, obsoletis iam & nominibus; & imperitare nũc sibi, non Christianos nobiles, & natiuos suos patronos, sed peregrinam Ethnicam, ac non ita pridem seruitute emersam, atque & imperio simul, & libertate donatam hinc Vasalorum stirpem. Adeò verò increbuere in Taurica Tartari, quod circiter triginta millium exercitum compleant ad bellum, sed coacti, vt solent vniuersi, & gregarij ac imbelles, quicunque saltem valeant conscendere equum. Vt me præsente ibi, dum medietatem eorum, & filium suum mitteret Cæsar, in subsidia Turcæ proficiscenti

Numerus Tartarorum Tauricanorum.

scenti nouissimè in Vngariam, quindecim millia eorum tunc enumerata sunt. Proficiscebantur autem quamuis lectiores illi, consueto tamen apparatu suo, inermes videlicet plerique, & vix decimus aut vigesimus quisq; eorum pharetra fultus aut framea, lorica vero multo rarior; sed alij scipionibus saltem muniti osseis, alii ligneis, alii vacuis telorum accincti vaginis. Clypeorum autem & hastarum, vel huiusmodi armorum generis, expertes penitus. Sic enim semper illi, nec armis, & nec cibarijs præter nonnihil milij tosti, aut casei comminuti, & neque ullis onerantur impendiò ad bellum impedimentis. Verumtamen nemo illorum, sine pluribus recentibusque loris proficiscitur, & præsertim quando nostras excursitandum est eis in regiones. Quoniam tunc soliciti fiunt vinculorum, ad vinciendum membra nostra, plus quam armorum ad tutandum sua. Equorum vero semper fulciuntur ad bellum copia, ut magna pars exercitus eorum, quinos singuli ducent equos, eosq; intactos. Vnde excursiones & omne iter, crebra hujusmodi equorum mutatione freti velocius perficiunt, & hostem insequentem se effugiunt facilius, ac etiam terrefactant amplitudine vestigii sui, & non metuunt ipsi in copia eorum fatigam nec famem. Præstant etiam in bello tolerantia, famis, sitis, fatigæ, peruigilij, æstus, algoris, & omnis inclemẽtiæ cælestis omniumq; ærumnarum. Nam expeditiones bellicas perficiũt absq; curribus semper, & absq; omni commeatu, præter illam quam dixi equorum copiam. Solitudines item camporum vastas, inuias, brumali etiam tempore, altitudine niuium & pruinis acerbas, quamuis excoriatis dura niue & glacie equorum cruribus, haud ægrè tamen & haud grauatim superant. Amnes amplos rapidos, atque hiberno etiam rigore, Aquilonumq; & glacierum fragorib. horridè stridentes & traiectu difficiles, absq; tamẽ nauigiis, sed saltem equorum ipsi iubis adnixi, sarcinis vero ad caudas super tignis, seu arundinum fasciculis alligatis, tranãdo incunctanter expeditè & promptè transmittitant. Et in prælio pugnant, fortius multo quam Moschouitæ, quamuis minus armati, & semper primo in congressu, sinistrum aduersi exercitus, conantur occupare cornu, quo dexterius ipsi petant sagittis. Sæpe quoque in fugam versi, terga dando, re-

Bellica expeditio.

Traiectus fluuiorum.

ſiſtunt,& hoſtem inſequentem ſe diffuſum ſparſim, interceptant ex inſidijs, & ſic eripiunt non nunquam victi victoribus victoriam. Quando verò præter technas & ſtrategemata, ſed recta & cominus, collatis ſignis, venit conferenda cum eis manus, præualent tunc in eos pugnatores noſtri, etiam ſi non paulò pauciores fuerint.

Tartari crebrò à Lituanis & Polonis victi.

Id quod crebrius experti ſumus, ſub victorioſiſsimis vexillis diui parentis S. Maieſtatis V. Nam & poſt infelicem Chriſtianorum cum Machometicis, patruelis verò S. Maieſtatis V. Regis Ludouici vltimam pugnam, menſe quinto, calendis Februarijs, Anno Domini ſupra mille quingentos & viginti ſeptimo in campis planis illis prope Czerkaſsi ad fluuium Olſſanicza, viginti quinque millia illorum Precopenſium Tartarorum cæſa ſunt ad internecionem à nobis, qui non plures fuimus ibi, quam quingenti & ter mille. Et ante apud Kleczko, deſiderata ſunt ſeptem & viginti millia eorum, proſtrata à novem millibus noſtrûm. Ita quoque aliàs, & apud Dauidis Caſtellum & apud Streſsino, Czeczersko, Lepuſſno, & in campis etiam vaſtis illis, in Lebedino, & ad templum album, & ad fluuium Sula, & alijs in prælijs, quotquot æuo prȩſenti fuere genti noſtræ cum illis, expertum eſt robuſtiores eſſe noſtros.

1519. menſe Auguſto.

Nam & apud Sokal, non robore virium ſuperatus, ſed dolo & loci iniquitate circumuẽtus ab illis, ſuccubuit exercitus noſter, perductus inſidioſè in aream oppidi recens exuſti, crebris præcipitijs cellariorũ, id eſt, antris, cauernis & cryptis ſubterraneis dehiſcentem. Et illinc primùm arrigi cœpit in nos cornu ſtirpis Kiriorum, perlatis ſibi in Tauricam exuuijs cruẽtis militis noſtri. Atq; deinde apud Oczakovv, tametſi fortis itidem ac etiam victor in illos fuerit miles noſter, at imprudens interim, ut qui donauerit vltro victoriam victo Oslam Soltano, mittẽs ad eum in Caſtellum duces ſuos colloquij gratia, ignarus, dictũ eſſe, circa rem bellicam dolus an virtus quis in hoſte requirat? Sic igitur ſemper robuſtiores fuere noſtri Precopenſibus, præter ſaltem technas, dolos & ſtrategemata illorum.

Vita Tartarorum.

Vita autem Tartarorum, qua gloriantur, eſt priſca, paſtoritia, quam olim in aurea ætate, ſancti vixerunt patres, & ex qua Duces etiam eligebantur populis, regesq; & Prophetæ, dicente quodam eorum, tulit me dominus

nus cum ſequerer gregem eorum. Ita enim agunt hactenus Tartari, ſequendo greges, & peragrando cum eis campos hinc inde. Septa nulla habent, nec domos, præter tabernacula geſtatoria, ex viminibus & arundinibus compactis, cilicijs velata, ſtoreis, & mattis ſcirpeis munita, quæ vxoribus & pueris referta, vectant ſecum in plauſtris. Terram non colunt, etiam fertiliſsimam, contenti ſpontaneo fructu eius, herba ad paſcendum pecus. Vnde iuxta Salomonis conſilium, lacte ſolum abſq; pane & ſycera viuunt, ſobrij & abſtemij. cùm lege quoque prohibitum habeant potum vini, ac eſum ſuillæ. Et quamuis cæterorum pecorum ac jumentorum, etiam equorum veſcantur carnibus, non tamen apud ſe, niſi penitus mortuis aut penè morticinis, parcendo ſcilicet viuidis gregum ſuorum. Nam in gregibus totam ſuam conditant ſubſtantiam.

Opes.

Nihil immobile poſsidentes priuatim præter puteos, & eos contribulibus quibuſque communes.

Labor.

Mobilium etiam curæ, atque oneri non impendiò ſe applicant, præter, quotidianam & eam tenuem vtenſilium ſupellectilem & equitatus, bellicæq; rei leuiſsimum etiã inſtrumentum, ad quod ſolum accurati ſunt, præter verò id, ad aliud operis profani, alicui rei nauare operam, virum ingenuum dedecori habẽt, quo ſedulius obſequundent præſcripto legis ſuæ, vi & armis propagandæ. Atque in ea feritate nihil habent antiquius temperantia & continentia, viuuntq́ue citra exuperantiam ac defectum vltimum omnes. Vnde quemadmodum in ſacris litteris dicitur, ſcio & ſatiari & eſurire & abundare & penuriam pati. Item qui multum, non abundauit: & modicum, qui non minorauit. Ita nunc in barbaris illis, nemo abundans ſuffocatur ingluuie, nec egens extinguitur fame, neque algore conficitur, nemoq́; mendicat in tanta eorum inopia & penuria rerum. Nam vt non frequens apud eos heluo: ſic non fame laborans, nec mendicans nec fraudulentus, alieni hauſtor, nõ litigator, nec iudex iniquus, non teſtis peruerſus, non peierator, item non fur nec latro. Vnde minimè opus eſt apud eos angi quenquam ſollicita rerum ſuarum cuſtodia, nec ſe armis onerare domi ad priuatam ſui defenſionem. Nam iter habenti intra regionem eorum ferre telum, enorme & illicitum eſt. Sanctè enim colunt illi apud ſe pacem

& iustitiam, reddendo vnicuique quod suum est, integrum non imminutum in gratiam magistratus, ex decimatu, nec vllo alio nomine. Non quæstui etenim, sed pietati, impij ethnici illi habent iudicandi officium. *Iudices religiosi.* Quod etiam est eis non laicum, sed religiosum, & per religiosos id exequuntur Cadios, qui eò religionis initiantur, peculiariter secundum Iusiurandum, iam alioqui lecti tales, qui minimè inhient rebus profanis, de quibus alios iudicaturi sint. Et quo expeditius vigeat iustitia, nequaquam iudicium ibi protelatur subterfugijs cauillatorum, nec obtenditur calumnijs vitilitigatorum. Siquidem reus diffugium captas, dum per attactum oræ vestimenti sui, vocatus ab actore in iudicium non paruerit illico, extunc velut compertus iam in reatu vapulat. Verberatur enim fuste, certo & ex lege domini præscripto plagarum modo. Actori item & testi locus in iudicio non est, qui necessaria salutis non satis perfectè ex lege calleat, aut qui gustasse aliquando vinum seu alio notatus vicio deprehenditur.

Magistratus reuerentia. Parent quoque foro eidem, hoc est, Cadij iudicio, & proceres ac duces cum popularib. pariter & absq; discrimine, ac præter summum principem, cujus Maiestati plus etiam quam humanæ deferunt, ipsi in vniuersum, atque ad vnum omnes vno eodemque iure viuunt. Item & habitu conformi & victu compari, reddunt se pariles, nefas videlicet & piaculum habentes, fuste etiam expiandum, præsumi à quoque gentis suæ, vt vestitu præcinctúve, aut pileo seu cæsarie vtatur, non suo patrio ac vetusto ritu: utve cibarium privatim à se promptum, non commune habeat vnicuique præsentium, aut sumat illud esui parte ex aliqua patronus ipse prius, quàm expositum in medium, frustulatim fuerit concisum, & commistum diligentius, vt eadem scilicet cederet qualitate cuilibet præsentium. Et in itinere nedum viaticum commune habent, sed etiam inseruitant maiori natu aut imbecilliori cuilibet, alacrius vnus præ alio. *Hospitalitas.* Domi hospiti cuilibet obiterario etiam, & ignoto exponunt gratuito, & cibum & nidum, sed eminus à ferie statiuarum suarum. Quoniam aliàs non adeò iam sunt ciuiles, quippe qui fœminas suas ab hospite, amico etiam & conuiua quantumcunque gratioso, conspici nequaquam

licitum

licitum habent, tenentq; miseras, caveis suis abditioribus reclusas, & nedum conuiuiorum sed Synagogarum quoq; & omnis consuetudinis forensis penitus expertes, laborib. etiam omnib. sartorijs & sutorijs reiectis in eas, sed neutiquam tamen inuitas. *Polygamia.* At ipsi interim non fiunt contenti coniugijs earum, singuli singulis, more hominum prisco, in hoc se iactitantes, itidem & lege sua suadente vxores vnicuiq; quaternas, & in singulas earum pellices denas. Et quo perfectiores præstent se viros, non diuitias quærunt sponsarum, nec species earum corporales, copulanturq; eis, minimè à se antea in facie visis, sed animis dūtaxat moribusque earum exploratis, & non dedignantur in coniugia ancillas quoq; suas captiuas, ac emptitias. Vnde habēt eas in matrimonijs constantes, morigeras, inuicem cōcordes, & pellicib. suis in gratiam maritalem æquanimes, item pudicas, vt inauditum sit penitus in eis adulterij crimen, capitale alioqui, & nece expiandum illico. *Adulteria inaudita.* Et præterea, cùm intelligant barbari illi, nihil salubrius esse gentibus virtute & disciplina militari, in arduitateque consistere virtutem: Ideo molliciem & voluptates auersando asperitati vitæ, nec non equitatui ob rem bellicam studēt ex infantia, & iam inde ab incunabulis gestantur in equitando, nec desuescunt equitare vel decrepiti. Vehiculi verò vsum vetuli quoque vel valetudinarij detestantur molliciem deuitando & parcendo equis. Parci enim sunt equorum, adeò quod Baro etiam eorum, equitet intra patriam solus, qui foris centenis concomitatur equitibus suis peculiaribus. *Fœminæ bobus vehuntur.* Et mulier apud illos etiam primaria, & vel Cæsaris necessaria regiam accessura, non verecundatur caueæ suæ obturatæ reclusa, auro vel gemmis intro nitens, boue vehi vno, aut propter plaustri grossiciem duobus. Equum autem vel deterrimum iungi vehiculo, nefas est & religio cuilibet eorum, millenos etiam in equitijs suis habenti equos. Est autem vita hominum illorum tetrica, sic & austera vulgo eorum communis, at non Principib. *Vita Principum.* Quoniam Principes Scytharum in publica populorum suorum frugalitate ipsi lautius interim viuunt. Vt Precopensis modernus Cæsar, negotio bellico in filios nūc reiecto, ipse propensius voluptatibus intendit, in topiarijs mulierum suarum, intra viridarium quoddam,

amœnitate loci, nec non ædificatu,cultu,herbarumque ac arborum varietate,& quincunciali earum situ elegans. Quo quidem in Paradiso suo,hospites etiam exceptat ille, conuiuijs opiparis, licet ipse quidem velut fastidio & contemptu diuitiarum ligneis & fictilibus vescens ex vasculis, attamen auratis innitens puluinarijs, & cubitis & pedibus ad argenteamq; discumbens mensam, aureis & gemmatis oneratam phialis & varijs lasciuiens dapibus, nec nō melodijs fidium,cymbalorum, Crotalorum, Psalmorum, alijsq; nugis ostentans delicias suas,liberiusq; licere sibi ea præsumens in publica populi continentia.

Populi. Agunt verò populi Tartarici continenter auscultantes Sacræ Scripturæ dicenti; Vinum non bibetis, domum non ædificabitis, sementem non feretis, vineas non plantabitis. Sed in tabernaculis habitabitis, vt viuatis diebus multis super faciem terræ. Sic ergo viuunt illi super faciem terræ diebus multis liberi, immunes, & ab vltimo sui excidio tuti semper. Dum delicijs contemptis, nihil fixum expugnationique obnoxium possidentes, tota ipsorum quocunque migrent comitetur eos substantia. Quam ideo fugitiuarij ipsi conditant sibi vniuersam in mobilibus, in mouentibus sese pecoribus ac etiam seruis.

Quanquam verò habeāt Precopenses pecora se penes, copiosè pullulantia,seruos autem aliunde captiuos,eo tamē altero facultatum suarū genere plus fortunati sunt.Non habent enim pecora tot, quot mancipia.nam hæc externis quoq; largiuntur prouincijs. Siquidem aduētant eis naues crebræ ex vlteriori Ponto, & Asia, portātes arma, vestes, equos, & soluuntur ab eis oneratæ semper mancipijs. Quoniam omnia illorum emporia ac telonea,celebria sunt solo eo mercium genere,quod etiam ad manus est eis semper, & mercatui, & pignori & dono, ac vnusquisque eorum equi saltem ascensor, etiam cum nullum actu habeat mancipium, potentia tamen, certò semper copiam peculij eius habere se præsumens, promittit in contractibus creditori cuilibet numeraturum se ad certum diem pro vestibus, armis, & equis viuacioribus, viuaces etiam, verùm non equos, sed homines, eosque sanguinis nostri. Et statur huiusmodi promissis

Mercimonia mancipiorum.

missis eorum securè, perinde ac si in viuarijs, & cortibus suis reclusos semper habeant illi homines nostros. Vnde Iudæus quidam ibi in Taurica ad portam eius, vnicam illam, teloneo præsidens & innumeram semper hominum nostrorum captiuorum multitudinem importari illuc cernens, quærebat ex nobis vtrum adhuc homines in regionibus nostris supersint, nec ne, & vnde hic tantæ mortalium copiæ. Est autem id ipsum facultatum genus latrunculis illis in promptu semper,nedum in commercium quodlibet ad exteros, sed domi etiam,& sæuitiæ eorum perferendæ & ludicris.

Crebri enim ibi ex miseris ipsis viri robustiores, si non castrantur, auribus tamen & naribus mutilantur, genis & frontibus cauteriantur, pedicisque & neruis compediti angariantur, interdiu laboribus,noctu carceribus, prętenuique fouentur cibo morticinæ, eiusque putridæ, vermibus scaturientis, canibus etiam abhorrendæ carnis. *Captiuorum conditio.*

Fœminæ verò teneriores in lasciuijs habentur, & quædā conuiuijs etiam adhibitantur hilarandis,psaltui,fidicinatui.gesticulatuiq; artificiosè edoctæ. Quæ liberali forma ex nobiliore gētis nostrę sanguine raptę,adducantur Thalasio & paradisicolæ illi. *Fœminæ.*

Itē & alia spectanda aguntur ibi cum eo hominū genere. Quando videlicet venum producuntur, miserabiles ipsi, in frequentius ducuntur forum, seriatim, velut grues in auolatu digesti & decimatim collis concatenati, venundanturque decadibus integris sub manu & voce licitatoris, qui auctionando, enunciat vociferans, noua esse mancipia ipsa, rudia, non callida, recens capta, ex populo regio, non Moscouitico. Nam Moschorum genus, ut dolosum & fallax, ita vile habetur illic in mancipijs. Taxatur autem sagacius hoc mercimonij genus in Taurica, carequè emitur per mercatores externos, venundandum ab eis pluris, vlterioribus, atrioribusque, Sarracenis, Persis, Indis, Arabibus, Syris, & Assyrijs. Quilibet namque illorum, auide appetunt captiuas hinc in coniugia, citra tamen vim tunc & iniuriam, sed iuxta normam perscriptam desuper à Domino Deuter.21. Quoniam & imperatori Turcarum moderno, vxor apud eum gratiosior primogeniti eius post eum *Solymani vxor mater Amuratis 3.*

imperaturi genitrix rapta est ex prouincia nostra. Atque Precopensis Sapkirei, procreatus ex Christiana, & in coniugio habet nunc Christianam. Et omnes tyrannorum illorum ministri, spadones, scribæ, cæterique artifices, & milites præcipui Ianiczari, qui jam inde à pueritia arte & disciplina militari instruuntur, & ex quibus tandem Duces leguntur & Barones, de nostro Christiano sanguine fiunt. Et proinde quando emuntur ibi mancipia, inspectantur tunc eorum, ne dum promptiora membra, atque dentes, ne rari sint neu decolores, verùm abditiores etiam perscrutantur corporis partes. Et vbi quis deprehenditur næuus, tuber, cicatrix vel aliud latens vitium seu defectus, sequitur tum redhibitio. Atque in tanto etiam indagatu ementium, adstruunt nihilominus eis imposturam, sistendo illecebras vafri proxenetæ & mangones. Quos enim habitiores in gregibus captiuorum nanciscuntur, pusiones, & puellas, non eos vulgo producunt, sed lautius ad inducendam saginam curatos, redimitos serico, fucatos pigmentis, purpurisso stibioque, ad alliciendum quò pluris emantur. Nam interdum ibi pensitantur auro & ponderibus suis, emuntur formosiores, & illibatæ sanguinis nostri puellæ. Atque illico etiam vbi emuntur, reuenditantur identidem mancipia formosa, accuratius mangonizata aucto precio aut vsura momenti vllius lucri facta. Aguntur hæc & in cæteris peninsulæ illius vrbibus, in Caffa verò præcipuè. Contigitque ibi quod globi miserorum illorum coemptorum aguntur ex mercatu ad naues rectà. Est enim contingens portum freti oportuniorem, situ suo insatiabilis illa & nefanda, nō vrbs sed vorago sanguinis nostri. Vbi igitur migratores illi ad conscensum nauium in littore consistentes viderent doloris esse, vicem suam nobis inspectantibus: Vnus tūc eorum notus & conterraneus mihi velut interpellatus, contractiore vultu nostro, respondens pro comitiua & me intuens; Non est iam inquit frater dilecte, quod doleatis ex torribus nobis peregrinantibus ita: quamuis enim acerbū hoc & triste carpamus iter, relicto dulci patrio solo, migrantes eò, vnde nunquam redituri sumus: & quam-

Captiui ad Litnanos oratio.

& quamuis quanto longius à finibus patriæ abducimur, tanto maiori in dies natiui soli flagremus desiderio: æquiori tamen iam sors ea ineuitata ferenda est nobis animo. quandoquidem non soli & non pauci simul gregales comitesque sumus, & cùm haud optatiore statu, cæteros remanere hic in Taurica videamus, consortes nostros, stigmaticos istos, notis compunctos, oris etiam deformatos specie; atque domi non lętiorem itidem experti sumus vsu venisse exitum, necessariis nostris, quos vidimus illic, obtrucidari, detruncari, auulsaque eorum à corporibus membra & capita, iactari, corda quoq; in ignem spargi trementia, & pulmones exect s, dum exenteratis aluis illorum, tepidisque ex intestinis, raptaret hostis truculētus exta haruspicijs, felles & biles vnguentis. Quanquam autem & nobis præstitisset multo, si illa ac etiam alia quantumcunque crudeliora, vnà & semel perpessi occubuissemus apud lares manesque pater nos, à cultu religionis & à sepulchris maiorum non abstracti, corporibusq; nostris felicioribus multo quàm nunc, etiamsi trunca iam & euiscerata discerpta fuissent & deuorata illic à bestijs: sed quia inuidet nobis illud, prolixioribus his referuans nos ludibrijs fatum insolens, cui parendum est, & iniussu eius non secedendum, iam minimè in rem nostram & anxietas hæc, & commiseratio vestra, quin potiùs nobismet ipsis cauendum est, ne idem quoque vos maneat exitus, ne scilicet asportatrices has conscendatis etiam aliquando naues, & ne tota denique gens nostra, dispereuntibus ita crebrius indies alumnis suis intercidat. Id quod summopere sanè metuendum est, si eisdem quibus nunc estis, perseueraueritis diutius esse moribus vestris perniciosissimis, trahentibus vos iugiter in exitium. Si itaque est tibi quicquam aut charitatis in patriam, aut fidei in Principem, aut saltem in Deum religionis: tuum quoque debet esse, eam periculi imminentiam, vt nunc perspectis hîc hominum conditionibus deprehendisti, detegere Principi, & quorum deniq; interest, quod vt sedulò facias, si non aliud, at religionis saltem ipsius Dei moueat te amor, per quem adiurando te miseri nos affectum patriæ & libertatis nunc tandem expertes obtestamur vt saltem hoc vltimum à nobis pignus amoris desiderata haberet patria. Hæc ille perloquens, & graue

Haruspicia.

suspirans, tractus est in nauem, conscendente decade sua, catena-ta solida, & subducta in altum classe disparuit, relicto sic nobis elogio.

Finis Fragminis primi.

Quidam ad Lectorem.

In sequentibus hunc tomis, nihil aliud Michalo, quàm de corruptis gentis suæ moribus, quibus nullus sit perniciosior, primoq; repellendus hostis, queritur, quos emendatos esse & optat & regi rationes emendandi ostendit. Verùm nos omißis eiusmodi querelis, quæ de nulla non alia etiam gente esse poßint, ea saltem quæ ad magistram vitæ historiam pertinent, cognoscamus.

EPITOME FRAGMINIS secundi.

MOSCI & Tartari, longè sunt Lituanis inferiores viribus: sed superiores industria, frugalitate, temperantia, fortitudine, cæterisque virtutibus, quibus regna firma consistunt. afferunt Tartaris hæ virtutes ista commoda vt gaudeant copia peculij nostri abacti, & statu temporum sic exigente, placentur annuis muneribus à S. Maiestate vestra, amici scilicet fœderati, cum quibus antea quoque semper fuerunt Lituanis fœdera. Iidem in equitatu sunt assidui, absque curribus bella gerunt, equis peregrinis abundant, vrbibus quas tuentur carent. Mosci quolibet vere ex Orda Tartarica Nohaiensi, permutatione vestium, & rerum aliarum vilium, multa millia equorum bello aptissimorum accipiunt. Turcæ Thraces immittunt nobis magno pretio equos partus vltimi, senes, laboribus exhaustos, morbis occultis obnoxios: valen-

valentes verò, aut ipsa arma vendere Christianis, religio ipsis est ac scelus. at maiores nostri contenti erant domi suæ natis cantherijs: parati semper ad bellum cum lanceis, clypeis, loricis & refertis farreculeis. Heroidæ Lituanicæ vel templum vel conuiuium accessuræ, senis vel octenis eiusdem coloris pilentis, id est, rhedis pensilibus vehuntur: totidemque homines loris vinctos Scytha trahens, euadit impunè. at Tartari equorum ditissimi, ne Principis quidem suæ vehiculo iungi patiuntur equũ. Turcæ aliiq; Saraceni accessuri die quolibet quinquies in fanum ad orandum, excalceant se lauantq; frigida, etiam pudenda membra. iidem atque Tartari, Moscouitæ, Liuones, Pruteni, consulentes parsimoniæ iugiter retinent vniusmodi vestitus, quos nos & pretiosos & varios habemus.

Tartari tunicas habent absque plicis & rugis longas, equitanti dimicantique commodas, leues & pileos albos acutos non ad fastum paratos, quorum eminentia atque nitore in agminibus, licet minimè galeati esse soleant, apparent illustriores, & hostibus formidandi. quas technas Mosci quoque imitantur. hi verò ex ouili lana fiunt, & sæpè abluti diu durant, uno emti grosso.

Etsi Mosci soli, Sobolis aliarumq; ferarum genere abundent: tamen vulgò Sobolos pretiosos non ferunt. Sed missos in Lituaniam, molles mollibus, aurum pro eis auferunt: gestantque in lacinijs galerorum suorum cilicinorum laminas aureas, & gemmas pretiosas. quibus nec humor, nec sol, nec tinea, vt Sobolis, nocet.

Finis Fragminis secundi.

EPITOME FRAGMINIS libri tertij.

AROMATIS adeò abſtinẽt, vt & in epulis paſchalibus contenti ſint his condimentis, ſale lutulento, ſynapi, allio, cæpis, ſuæque telluris fructibus, non ſolùm vulgus, verùm etiam optimates, & ſummus dux illorum, arcium noſtrarum ereptor, quas iam 73. enumerat iactanter.

In menſa Principis conuiuali, inter aurea vaſa & vernaculas dapes, nonnihil quidem piperis, non tamen cocti in trullis ſeorſum apponitur, ſed à nemine attingitur. at Lituani opiparis & exoticis veſcuntur cibis, vinum varij generis bibunt. vnde morbi varij. cæterùm Moſci, Tartari & Turcæ, licet regionum viniferarum poſſeſſores, tamen vinum non bibũt, ſed Chriſtianis venditum, neruos belli pro eo comparant. perſuaſi ſe Deo præſtare obſequium, ſi quouis modo extinguãt ſanguinem Chriſtianum.

Aqua amara.

Tartari, Precopenſes itidem aromata auerſantur, viuuntque potu lactis & aquæ putealis, quæ in ambitu Tauricæ campeſtri, rarò inuenitur non amara, clara autem rarius, niſi in viſceribus terræ, profundiſsimè quæſita. Progenitores noſtri cibos potusq; peregrinos vitabant. Sobrij & frugales, omnem ſuam gloriam in re militari, voluptatem in armis, equis, famulis numeroſis, & qualibus Mars gaudet, duris ſtrenuisque ponebant, & cùm exteras gentes arcerent, ſua à mari vno ad alterum prolatarent, vocabantur ab hoſtibus Chorobra Litvva, i. ferox Lituania. Nullum eſt in oppidis Lituanicis opificium adeò frequens, vt coquendæ ex ſiligine cereuiſiæ, & aquæ ardentis. Sequuntur hæ potiones in bellum euntes, & ad ſacrificia Miſſalia confluentes. quibus homines domi aſſueti, ſimulatque inſolitum ſibi aquæ potum in militia attingunt, torminibus & dyſenteria pereunt. Ruſtici omiſſa agricolatione, in cauponas conueniunt. Vbi dies

& noctes pergręcantur, vrſis etiam arte cicuratis, vt potantes ſuá delectent ad cantum vtricularij ſaltatione. Vnde fit vt facultatibus conſumtis, fames ſequatur homines, ad furta & latrocinia convertantur, adeò vt in vnaquaque Lituanica regione, intra vnum menſem, plures propter hæc facinora capite plectantur, quàm centum & ducentis annis per omnes Tartarorum & Moſcorum ebrietatem vetantium prouincias.

Pœna vinipotorum.

Certè apud Tartaros, qui modò vinum guſtauerit, is & octoginta fuſtuarijs ictibus percutitur, & totidem nummis multatur. In Moſcouia verò nuſquam eſt taberna potatoria. quòd ſi apud aliquem patremfamiliâs vel gutta ſyceræ deprehendatur: huius tota domus diruitur, fortunæ confiſcantur, familia atque vicini eiuſdem vicus vapulant: ipſemet verò in perpetuum carcerem detruditur. In viciniam ideò ſæuitur, quòd ſit eo infecta contagio, & nefandi conſcia criminis.

Bibacitas Lituanorũ.

Noſtros verò, non quidem magiſtratus, ſed ipſa intemperies perdit potatores, aut mutua arma inter potandum enata. dies ab aquę ardentis potu inchoatur. vinũ vinũ adhuc in lectis clamitantes. bibitur deinde idem virus à viris, fœminis, iuuenibus in plateis, foris, ſecus vias, quo infecti nihil poſt agere poſſunt, quàm dormire, ac qui huic malo ſemel aſſuefit, in eo creſcit potandi continenter cupiditas. Nec Judæi nec Saraceni quenquam è ſuo populo patiuntur perire egeſtate, tanta inter illos charitas viget: nec quiſquam Saracenus cibarii ſui edere vllum fruſtum audet, niſi id prius comminutum & commiſtum fuerit, vt vnicuique præſentium cibus cedat eadem quantitate.

Abſtinentibus autem ebrietate Moſcis, oppida illorum celebria ſunt varijs & aſsiduis artificibus, qui mittendo nobis crateres ligneos, & baculos ad fulciendum gradum infirmis, ſenibus ebriis, ephippia, framęas, phaleras & diuerſa arma, auro nos ſpoliant.

Seruitus Moſcorum.

Antea Moſcouitæ in eiuſmodi ſeruitute Tartarorum Zauolhenſium fuerunt, vt dux illorum inter cætera ſeruitia vnicuique Cæſaris legato, & cenſus exactori quotannis in Moſcouiam venienti, prodiret obuiam extra oppidum. & tenens manu ſua equi eius habenas, pedes equitem ad regiam deducebat. Sedenteque legato in ſolio Ducali, ipſe genibus flexis legationem au-

diebat. Ideò & hodie Zauolhenses & ab his orti Precopenses ducem Moscorum appellant suum cholop,i. rusticum. Sed præter causam. Nam se suosque ab hac tyrannide Iohannes auus huius Iohannis Basilii,qui hodie rerum gubernacula tenet,redacto populo ad sobrietatem cauponisque vbique interdictis vindicauit. quin subiectis sibi Rezani,Tvver,Susdal,Volodovv alijsq; finitimis Comitatibus ditionem suam protulit. idem etiam, Casimiro rege Poloniæ & Duce Lituaniæ in Prussia contra Cruciferos pro regni finibus pugnante, populoque nostro in luxum prolapso, ademit suoque adiunxit patrimonio Lituanicas prouincias Nouohrod, Pskovv, Sievvier,& alia,heroum sanctorum catalogo à suis adscriptus, liberator & auctor patriæ.nam & metropolim suam, arce lateritia, & regiam lapidibus arte Phidiaca sculptis, inauratis quibusdam eius sacellorum cacuminibus decorauit. Sic & genitus ab eo Basilius eadem vsus sobrietate atque disciplina morum, anni millesimi quingentesimi decimiquarti vltima Iulii ademtam nobis perfidia Michaelis Hlinscij arcem & prouinciam Smolensco, addidit suo patrimonio. Vnde Moscvvam metropolim suam auxit, condito in ea vico Nalevvki, opera mercenariorum nostrorum militum indito ei in opprobrium gentis nostræ ebriosæ cognomine. Naley enim Infunde significat. Similiter huius natus qui nunc regnat,etsi arcem vnam ad nos amisit: tamen interea intra regionis nostræ fines tres arces condidit, Sebesz, Velisz, Zavvlocz. nulla re cedit Tartaris,quorum olim seruus fuit,ita suos habet sobrios: tueturque libertatem non panno molli, nec auro splendido, sed ferro: tenetq; gentes suas in armis, munit arces perpetuis præsidijs,pacem precariam non curat, vim vi repellit, continentiam Tartaricam continentia populi sui, sobrietatem sobrietate æquat, artem arte Vitoudum heroem nostrum imitatus elidit.

Moscus Lituanis multa adimit.

EPI-

EPITOME FRAGMINIS Quarti.

IVSTICIA quoque præstant nobis Tartari. nam reddunt vnicuique statim quod ipsius est. apud nos verò capit Iudex decimam partem rei iudicatæ, ab actore innocente, quæ iudicis merces appellatur Peressud. quæ ilico in tribunali soluenda est. Cùm autem de minima fundi agitur particula, non decima datur, sed licet non fuerit tanti pretij res iudicata, centum grossi; quorum vnus duos cruciatos nummos Germanicos valet, cum dimidia cruciati parte. maioris verò decimam capit semper, summæ bonorum totius, quantacunque deducta fuerit in litem.

Ratio iudiciorum Lituanicorũ.

Ex iniuriarum autem personalium & violentiarum vtcunque insimulatarum causis, capit à reo ratione multæ, tantum quantum adiudicat actori. adiudicat autem propter tanta sua lucra actori, apertè etiam calumnianti fauens, pro offensione eius qualicunque, mari sexagenas grossorum vicenas, fœminæ quadragenas, pro damnis verò realibus quicquid calumniator peierans asseruerit, centenas & millenas, etiamsi ne vnam quidem sexagenam valere appareat tota eius substantia. Et pro homicidio, non iuxta legem diuinam vt sanguis sanguine vindicetur, sententia fertur, sed pecuniaria fit, cum decimis magistratus. Quocirca frequentia hîc committuntur parricidia. Et licet actor ingenuus in causis iniuriarum victoria potitus, placetur à reo mollibus verbis: at non iudex. is enim semper pecunias haurit, ab hoc multitias, ab illo decimarias.

Capit & decimas à pragmaticis sanctionibus & transactionibus. In criminalibus verò causis, non decimam sed totum capit, quicquid furtiuum aut latroni ademtum deprehenditur penes aliquem, qui eius prouentus appellatur Litze. Quando autem res ipsa furtiua penes furem seu euictorem eius, portanda est ad alium iudicem: valorem eius integrum capit prior iudex. ita vt necessum sit apud nos repetenti rem suam surreptam, impendere in magistratus plusquam res ipsa valeat: quapropter multi id cernentes sua iumenta furtim abacta, aut vi erepta, non audent litem propter ea intentare. Fur etiam in recenti crimine captus, non à magistratu loci illius in quo deliquit aut captus est iudicatur, sed per multa viarum discrimina, ducitur iudicandus, ad suum dominum, interdum ad talem in cuius domum furta inferebat. quamobrem securè furta committuntur. At apud vicinos nostros Tartaros & Moscos, iurisdictio in omnes baronum & nobilium subditos, tam in ciuilibus quàm criminalibus causis, non priuato cuiquam, sed publico ordinarioque competit magistratui, eidemque sobrio, & simul cum aliis habitanti. nostri autem & singuli seorsim, & bibentes id agunt, remotis arbitris & testibus, vbi quiduis patrare licet. Capit etiam præses apud nos præter scelus, 12. grossos à iumento, quod quis rapit, & appellans erraticum, trahit illud ad stabulum curiæ. Sic & ab homine etiam immeritò in carcerem detruso, totidem exigit grossos. prætendens ea stipendia iure sibi, & carceris & stabuli ratione deberi. Famulus quoque iudicis executor sententiæ, capit decimam rei iudicatæ partem. quin etiam citra iudiciarium strepitum, accipit decimam debiti crediti, seu depositi, quantumcunque liquidi, etiamsi minimè eat inficias. Et Notarius decimam pene pro litteris diffinitiuis, ac pro qualibet opera sua exigit aliquid: pro solo citationis sigillo ad causam unius grossi, quatuor. & quò carius omnia vendantur, necesse est citationem geminam, eamque sigillatam & manu protonotarii subscriptam esse, quod interdum antequam fit, notario in aliis occupato, elabitur non citatus reus, vt eorum natura est fugere. Capit item alius iudicis apparitor Wisz, diem

diem reo dicturus, in causa vel minima, siquidem Palatini fuerit, grossos quinquaginta, si vicarii eius, 30. si regius, vel se eum simulat, centum. Capit tantundem alter, id est, 100. vel 50. vel minimum 30. isque Deczki dicitur, qui reum accersit & ad causam cum citatione ducit. item satelles tantundem rapit, qui à contestata lite, ad testes sistẽdum examinandumúe, aut ad agrum pratumúe ab aliena pecude proculcatum aut depastum, seu ad aliud minus damnum videndum delegatur. Si pauper tantam pecuniam non habuerit, iumentis spoliatur. Iniquum & hoc, quod pauper aliquem è magnatibus citaturus, non inuenit tum vel maximo præmio apparitorem. Nec hoc minus iniquum, quòd vicinus meus potentior eiusdem mecum pagi hæres, alterius sit fori: nec tam facilè ut ego, citatur. Et quòd appellationis remedium sublatum sit nobis, enormi pœna apposita, vt est in stat. Lit. dist. 6. art. 1. Prohibita etiam contra potentes Vadia, quæ tenuibus sunt arma & quasi scuta ad protegendum. Adhoc quicunque in testimonium nominantur, quibuscunque in causis, præterquam in limitaribus, iniurati fidem plenè faciunt, solo quæstu falso testificandi viuentes. Librum publicum ad referendas in eum venditiones & alia præter priuatas schedas, non habemus. Reus, etiamsi manifestus fuerit rerum alienarum raptor atq; violator, non tamen ante ad iudicium accersitur, quam post menstruum à citatione spatium. Adhæc dum iumentum quod 50. vel 100. grossis valeat, mihi eripitur, summa agriculturæ opportunitate, ego raptorem citare in iudicium nequeo, donec prius citaturo eum satelliti soluero id integrum quod raptum valet, cùm deinceps non solum solutio expensarum me non sequatur sed nec reum de re ablata in iudicium trahere, nisi post menstrua quædam interualla liceat. Itaq; iniuria affectus aut totum raptori permittit, aut vi vel fraude par refert.

Tempore promulgationis legum Lituanicarum bos valebat 50. grossis, vacca triginta. quæ pretia nunc magis creuerunt. At in alijs regis Poloniæ ditionibus, nec tantæ induciæ patent reo, *Forum Polonicum.* nec sumptus tanti ad citandum requiruntur. Sed apparitor conducitur ad citandum reum dimidio grossi. & diploma regium, quo quis citatur, absque chirographis protonotariorum valet.

nec adeò magno venit pretio, imò gratis dari iubetur edicto regis Sigismundi in Stat. Polonicis Piotrcouiensibus anno Domini 1511. & iudex à re iudicata etiam maxima non decima parte illius, sed duobus vel ad summum quatuor contentus fit grosis nostris minoribus, qui valent 8. cruciatos Germanicos. apud nos decimarum rei iudicatæ ter geminarum caussa, Iudex suæ causæ fit iudex: & velut hamo escam habente captus, trahitur semper ad condemnandum, obscuris etiam partium iuribus. Etiam Ethnicorum leges prohibent mercedem iustitiæ. quæ ad nos immigrauit ante pauca lustra, ex ambigua consuetudine, opera procerum primorum, leges vsibus suis accommodantium, quibus vigentibus nemini licet posidere quidquam quod non obnoxium sit magistratui. verbi gratia: Cùm aliquis aut mihi infensus, aut iudici fauens, commodumq; procurans, pecuniam meam rapit, seu mutuum depositumúe creditum retinet, aut fundum occupat meum: ego nihil horum recuperare possum ab eo, donec prius dedero iudici & familiaribus eius decimas, & alios prouentus amplos, in quos totam pecuniam meam breui abire necessum est, si iterum semel vel bis idipsum negocii probus ille iudicis amicus mihi palam facesiuerit. vbi verò furto, aut vi palliata, iudicis emissarius aurum, argentum aliaúe mea surripit, hæc deprehensa transeunt ad præsidem. Ecce iustitiam Serenissime Princeps in patrimonio tuo, reddentem vnicuiq; quod suum est, en iura sancta.

Iudices tantum duo. Tametsi verò duo ex optimatum numero Palatini in omni Lituania fungantur iudicum munere, locis non admodum disiuncti inter se, verùm hi qui sufficere possunt, vt tam numerosi populi & tantarum prouinciarum lites diiudicent? præsertim cùm iisdem curæ sit respub. vt vocentur voiuodæ, id est, belli duces. quo fit vt occupati multitudine & publicorum & priuatorum negotiorum, diebus festis, nempe cùm sunt liberiores à negotijs, de litibus cognoscant. Sed id etiam mali accidit, quòd non habeant certis locis tribunalia. Sæpe sunt 50. amplius milliaria quærendi iustitiæ consequendæ causa, ab affecto iniuria. eunt miseri homines à finibus Samagitiæ & Liuoniæ, vsque ad terminos Masouiæ & Moscouiæ, persequentes iudicem

iudicem ordinarium. Adhoc habemus quotannis 40. dies recolendæ dominicæ pasioni, ieiunio, orationique dicatos. quos litibus attentius prosequendis transigimus. Habent ij Voiuodæ suos vicarios, qui itidem curato bene corpore, pro tribunali sedere inter conuiuiorum strepitus solent parum gnari iurisprudentiæ, sed in suo Pereslud emulgendo accurati. at Moscouitæ gloriantur se à nobis leges sumpsisse Vitovvdinas, quas nos iam contemsimus, à Tartaris verò arma, vestes, & rationem bellandi absque curribus, exoticis cibariis & potionibus.

EPITOME FRAGMINIS Quinti.

MOSCOVITÆ irati imprecãtur alicui suorum, vt fiat Romanæ siue Polonicæ religionis. adeò eam exosam habent. Gymnasijs literariis, dolendum, caremus. literas Moscouiticas nihil antiquitatis cõplectentes, nullam ad virtutem efficaciã habentes edi- scimus, cùm idioma Ruthenum alienum sit à nobis Lituanis, hoc est, Italianis, Italico sanguine oriundis. *Lituani ab Italis orti.*

Quod ita esse liquet ex sermone nostro semilatino, & ex ritibus Romanorum vetustis, qui non ita pridem desiere apud nos, videlicet excrematis humanis cadaueribus, auguriis, auspicijs, alijsque superstitionibus, adhuc in quibusdam locis durantibus maximè cultu Æsculapij, qui sub eadem, qua olim Romam ab Epidauro commigrauerat, serpentis specie colitur, & in veneratione habetur. coluntur & sacri penates, mares, lares, lemures, montes, specus, lacus, luci. Sed nec admodum diu sacer ille perpetuusq;, qui cremandis victimis Romanorum Hebreorumq; more fouebatur, extinctus est per baptismatis vndam vgnis, id est, ignis. Etenim & ignis, & vnda, aer, sol, mensis, dies, noctis, ros, aurora, deus, vir, deuir, i.e. leuir, nepotis, neptis, tu, tuus, *Verba Lituanica.*

meus,ſuus,leuis,tenuis,viuus,iuuenis,vetuſtus,ſenis,oculus, auris, naſus,dentes,gentes,ſta,ſede,verte,inuerte,peruerte,aratum, occatum,ſatum,ſemen,lens,linum,canapum,auena,pecus,ouis, anguis, anſa,corbis, axis,rota,iugum,pondus, culeus, callis,cur, nunc, tractus, intractus,pertractus, extractus, merctus, immerctus, ſutus, inſutus, verſus, inuerſus, peruerſus, primus, vnus, duo, tres, quatuor, quinque, ſex, ſeptem, & pleraque alia, idem ſignificant Lituano ſermone quod & Latino. Deuenerant verò in hæc loca maiores noſtri, milites & ciues Romani, miſsi olim in colonias, ad arcendum à ſuis finibus gentes Scythicas. ſeu vt certior fert opinio, ſub C.Iulio Cæſare appulſi, Oceani aduerſis procellis. Nempe cùm is Cæſar, vt ſcribit Luc.Florus, victis Germanis & in Gallia cæſis, Rhenum proxima parte Germaniæ domita ſuperans,ac deinde Oceano in Britanniam diſiecta tempeſtatibus claſſe,parum proſperè nauigaret, delatæ enim naues maiorum noſtrorum ad litus, vbi nunc eſt arx Samagitiæ Ploteli,credūtur egreſsi in terram. Quin & noſtro tempore peruenerunt naues quædam tranſmarinorum in illud idem litus. Vbi noſtri progenitores laborum & periculorum maris pertæſi, & captiuis tam viris quam fœminis onuſti,cœpere in tabernaculis ad focos, more militari, adhuc in Samagitia durante, vitam degere. vnde vlterius progreſsi,ſubegerunt vicinos populos Iaczuingos,deinde Roxolanos ſeu Ruthenos,quib. tum vt Moſcis dominabantur Tartari Zauolhenſes: & ſingulis Ruthenorum arcibus præſidebant ij,qui appellabantur Baſskaki, è quibus exacti ſunt à parentibus noſtris Italis,qui poſtea Litali,deinde Lituani appellati ſunt. Tum innata fortitudine,populis Ruthenicis,regionibus arcibuſq; è Tartarica atq; Baskakorum ſeruitute ereptis, ditionem ſuam à mari Samagitico, quod Balteum dicitur,ad pontum Euxinum vbi oſtia Boryſthenis,& ad fines Valachiæ,alterius Romanorum coloniæ, & terras Voliniæ, Podoliæ, Kijouiæ, Sievvier,atque campeſtres regiones vſq; ad terminos Tauricæ,ac Tovvani traiectū Boryſthenis, omnia occupanpando, & illinc aquilonem verſus ad vltimam & proximam metropoli Moſcouiæ arcem Mozaiſco,ipſa quidem excluſa,ſed Wiazmam,Dorohobuſz,Biela, Toropetz,Luki, Pskovv,Nouihorod,

horod,

horod, omnibuſque citerioribus arcibus & prouincijs incluſis protulerunt. poſtmodum amplificata ſic virtute militari ditione ſua, diadema quoque cum nomine regio obtinuerant Principi ſuo Mindavvgo, ſacri baptiſmatis charactere inſignito. Sed extincto illo rege, etiam nomen regium atque Chriſtianum interierat, donec rurſum vicina nobis & Chriſtiana gens Polona, ad ſacrum baptiſma & regale faſtigium anno Chriſti 1386. inuitaret feliciter hic dominantem proauum Sacræ Maieſtatis veſtræ, diuū Wladislauum, Lituanicè Iagelonem nuncupatum, quò virtus duarum gentium confinium conſociata fortior foret in reprimendo communi Chriſtiani nominis hoſte. Quam *Iudæi.* in regionem confluxit ex alijs prouincijs omnium peſsima gens Iudaica, iam per omnia Podoliæ, Voliniæ & alia fertiliora oppida aucta; perfida, callida, calumniatrix, quæ noſtras merces, monetas, Syngrapha, Sigilla adulterat, in omnibus emporiis victum Chriſtianis præripit, nullam artem præter impoſturas & calumnias exercet: ex progenie Chaldæorum natio peſsima, vt tradunt ſacræ literæ, adultera, peccatrix, infidelis, nequam, peruerſa.

EPITOME FRAGMINIS Sexti.

PRÆSTANT nobis Tartari non solum frugalitate & prudẽtia, verùm etiam dilectione proximi. conseruant enim societatem inter se & beneficentiam. seruorum quoq; iustam habent rationem, quos non nisi alienigenas habent.& licet aut bello aut pretio quæsitos,tamen vltra septennium non retinent.iubente id Scriptura Sacra Exod.21. at nos nec bello nec pretio acquisitos,nec exteros,sed nostræ gentis & religionis, orphanos, egenos, coniugijs ancillarum irretitos,tenemus in seruitute perpetua.abutimurq; authoritate in eos nostra,dum eos cruciamus,mutilamus, necamus absq; iudicio legitimo, ob quamcumcunq; suspicationem. Contra apud Tartaros & Moscos nulli magistratui licet necare hominẽ, licet in crimine manifesto, præterquam metropolitanis iudicibus:idq; in metropoli.at apud nos per omnes vicos, villas,sententia vulgo fertur in homines. adhæc ex solis falcem subditis nostris oppidanis inquilinis, aratoribus pauperrimis, stipendia in defensionẽ reipub.exigimus, dominis fundorum prętęritis.cùm tamen ij plura percipiant ex suis latifundiis, agricolationibus,pratis,pascuis,hortis,oleribus,pomarijs,syluis, nemoribus,melle,venatione,cauponis,officinis,mercatibus, teloneis, naulis, portorijs, lacubus, fluminibus, stagnis, piscinis, molendinis,pecorum gregibus, seruorum ancillarumq; laboribus, magis autem procederet bellica expeditio & tributum in eam,quod fit viritim,si inchoata fundorum agrorumq; omnium tam nobilium quàm plebeiorum æqualis dimensio absolueretur.qui enim maiores agros haberet, plus contribueret.

Serui Lituanici.

EPI-

EPITOME FRAGMINIS Septimi.

TARTARI suas mulieres in abditis semper tenent locis.nostræ verò circumeunt domos ociosæ, cœtibus virorum se miscendo, vestitu ferè virili. vnde nascitur libido. iidem repleturi incolis terram quæ ad inhabitandum creata dicitur, & genus humanum ad laudem Domini propagaturi: præterea cùm non omnis mulier fœcunda sit, nec quolibet mensis tempore attingenda à viro, neque semper ad concipiendum apta,& concepto semel fœtu, non sit interim cognoscenda, quippe cùm prolis gratia non libidinis accipiatur vxor, & vnico congressu concipiat fœtum interdum non vnicum, vt patet in Thamar & Rebecca: propterea inquam Tartari tantùm seminis virilis vigorem considerantes, neue illud præter opportunitatem effundatur cauentes: sequuti ducem naturam, atque laudabilem priscorum hominum, de quibus in Biblijs, consuetudinem, plures simul singuli vxores habent. Ex quibus coniugijs vires contra nos maiores acquirunt, numerosas filiorum & affinium copias consequuntur, & vxores, quantò plures, tantò sui amantiores habent, faustisque fruuntur matrimonijs. nec sponsarum magnas dotes quærunt, nec formas nec inclytas familias. adeò vt summi principes ex captiuis emptitiis coniuges sumant.

Polygamia Tartarorũ.

Cæterùm nostri contra morem priscorum, sanctorumque hominum,& belluarum naturam,honor sit pijs aurib. nonnunquam plures ad vnam accedũt fœminam,nullum hinc nec prolis nec affinitatis, neque vllius amicitiæ fructum sperantes, nec Deum verentes.dotes quærunt, formas spectant, quibus sibi fœminę obligant & deuinciunt viros.superbiores fiunt,& id studẽt vt non tam integræ quàm pecuniosæ & formosæ habeantur,etsi

Vxores Lituanæ.

fictis nonnunquam pecuniis, pictis faciebus. id quod latius in populo nostro patere cœpit, postquam promulgata est nobis lex Stat.Lit.dist.4.arti.7. concedens pro dote mulierib. certas hæreditatum partes. vnde insolentes factæ, subinde virtutem negligunt, tutoribus, parentibus, maritis immorigeræ fiunt, & viuentibus immaturam machinantur mortem. hæc multitudo vxorum facit vt vicini nostri Tartari Precopenses toties à nobis ad internecionem cæsi, rursum repullulascant. nec ita pridem in copijs Oslam, Soltan fuerunt

40. Fratres. collectanei eius, cuiusdam Omeldesz 40. filij simul, robusti vno anno & mense fortasis, ex vxoribus & pellicibus earum procreati. quæ cohors 40. fratrum germanorum conspicua fuit. & hic apud fluuium Vaka villa Tartarorum frequens est, antiquitus 40. Tartarorum, id est, fratrum appellata. Mercandarum sponsarum morem, qui est apud Tartaros, patet fuisse etiam apud Israelitas, Genes.29. & 1. Reg. 18. quemadmodum & in nostra olim gente soluebatur parentibus pro sponsis pretium, quod Krieno à Samagitis vocatur. Sed nunc mancipamur dotibus vxorum, & serui propter eas efficimur quærentes magnificas affinitates.

Nec Tartari nec Mosci vllam permittunt mulieribus libertatem. Ac vulgò id dicunt: Qui mulieri libertatem concedit, is sibi eam adimit. non sunt sui iuris apud eos. apud nos verò quædam multorum virorum capitibus dominantur, possidentes pagos, vrbes, tractus, aliæ vsu fructuario, aliæ hæreditario iure. qua dominatus libidine degunt sub prætextu virginitatis aut viduitatis effrænes, & subditis molestæ, alios odio prosequentes, alios amore cœco depereuntes, ac extollentes, cùm morte amarior dicatur esse mulier, & nihil sit peius ira eius, Ecclesiast. 7. & 25.

Fœminæ capitaneæ. Et cum imperium muliebre satis turpe sit, etiam intra penetralia priuatæ domus, tamen apud nos tenentur ab eis arces finitimæ regionibus Moscorum, Tartarorum, Turcarum, Valachorum, non nisi cordatis credendæ viris. non iniuria igitur progenitores S. Maiestatis V. libertatem licentiamque hanc hæreditatum non permittebant mulieribus. sed eas

eas nuptui tradebant, suo non illarum arbitrio: non opibus, nec genere, sed virtute nobilioribus viris, qui se nobilitabant profundendo in bello & suo & hostium sanguine. itaque agasonibus etiam, qui se benè in re bellica gesserunt, dabantur hic heroidæ vxores: vocati quidam Sakones & Sungailones.

EPITOME FRAGMINIS Octaui.

QVIBVS premijs alij illecti, frequentes etiam ex plebe, fiebant boni milites, quibus fulti progenitores S.Maiestatis V. longè lateq; ditionem proferebant suam, ita vt etiam nunc in media Taurica & Moscouia alijsque prouincijs cernantur vestigia maiorum Maiestatis vestræ: appellantur enim ibi quidam Gediminei ac Vitovvdini valli, colles, putei, pontes, viæ, fossæ, statiua & mœnia tormentis indigetum illorum quassata, alia verò baculis etiam Lituanorum obruta fuisse memorantur. sed tamen non torpore nec otio languebat patritia pubes, exercebatur assiduè in militia more progenitorum suorum Romanorum, non illi dum indiceretur bellum, aut grauem ab hoste iniuriam, aut temporis æstiui opportunitatem expectabant: sed vel ob priuatam, vel non admodum grauem subditis iniuriam factam bella faciebant, Moscorum metropolim Moscvvam nonnunquam circa festum paschatis attingebant, ibidemq; cum hostibus supplicibus fœdera iciebant. at nunc princeps illorum ferox nobis est, vtpote qui gentes suas exercet in assidua militia. non licet cuiquam indigenarum domi semper sedere: Verùm alternis vicibus, excubandum est foris in præsidijs confiniorum. taxant hanc nostram supinam securitatem, hostes nostri Tartari, vsitato suo scommate, cùm nos post comessationes somno sepultos, hisce cum verbis inuadunt: Iohannes tu dormis, ego te vinciens,

Virtus antiquorum Lituanorũ.

laboro. plures nunc nostrates ociosi milites in cauponis, mutuis cædibus quàm ipsi hostes, qui patriam nostram crebrò populantur, pereunt, qui exercendo se in campis cum sobriis solertibusq; hostibus, in finibus Podoliæ atq; Kiiouiæ, haberent copiam decertandi magis gloriosam, & ex tyronibus strenui milites ac duces euaderent, nec aliunde ad ea munia obeunda quærerentur. Non contemnebant suos vernas, maiores Maiestatis vestræ, quos expedit ac necesse est pugnare fortius, ac mori pro legibus & patria. Nec, si patruelis S. Maiestatis vestræ Rex Hungariæ Ludouicus, suos milites vernaculos peregrinis antetulisset, in expeditione contemptus, in prælio desertus, in fuga conculcatus fuisset. Expertus est fidem suorum, auus & illius & Maiestatis vestræ diuus Casimirus, pugnans ad Choinicze in Prussia cum Cruciferis, vbi & militis & ducis boni fungens officio, turbata suorum acie, & labore & onere armorum lassus, equo saucio languente, confestim corporibus militum gentis nostræ circumseptus, alio conscenso, disiectis hostium agminibus periculo præsenti ereptus est. quod Mosci æmulati, nec armis exercēt nec pecunijs ditant milites peregrinos, aliquando è regione excessuros: sed suos vernaculos iugiter perseueraturos fouent, curæ habentes non stipendiorum, sed hæreditatum illorum quantitates. nunc autem nostri milites ordinarij in confinibus, quamuis multò vberioribus & hæreditatum fructibus & laborum, ac remissione censuum, alijsq; militaribus gaudeant prærogatiuis: tamen hæc stipendia contemnunt, permissa & armorum exercitatione & patriæ defensione transfugis Moscouitis atq; Tartaris. pendimus quotannis munera Cæsari Precopensi: Cùm tamen nostra Lituana & Samagitana pubes ad militiam vtilior esset, tam ferocitate naturali, quàm corporum robore, & perseuerantia in præsidijs constantiore. Sed neq; hoc considerant Summates nostri, senescere ocio ciuitatem, & corpora iuuenum salubriora fieri in militia quàm domi.

Ludouicus occisus 1526.

FRA-

FRAGMEN NONVM.

IN Lituania vnus homo decem occupat officia, cæteris ab administratione illorum exclusis. at Moscus æqualitatem inter suos seruat, non uni plura munia concedit. quin vnius arcis curam eamque annuam, vel ad summum duorum annorum, duobus simul pręfectis, duobus notarijs committit. quæ res facit vt aulici spe obtinendæ præfecturæ alacrius seruiant suo principi: & subiecti clementius habeantur à præsidibus, postea rationem reddituris, & in iudicium venturis. nam damnato repetundarum, ineūdum est cum iniuria affecto, plebeio etiam, duellum. & quamuis liceat incusato, alium loco sui ad certandum surrogare: tamen hoc succumbente, accusatus pœnas luit. ita fit, ut minus crebræ audiantur in regia oppressorum querelæ.

Duella Moscouitica.

Quin & in re familiari, enitet solertia barbari illius. adeò enim nihil in ea negligit, vt & paleas, stipulas, stramen vendat. proferuntur in conuiuiis eius grandes pateræ aureæ & argenteę, stramineæ cognominatæ, id est, è straminum palearumq; pretijs conflatæ. Habet & id commodi ex frugali præfecturarum dispensatione, vt quoscunque ad limites terrarum tuendos, ad negotia publica, legationes etiam longinquissimas obeundas mittit, hæc ipsi non vllis sumptibus à principe acceptis, sed suis perficiant. Et siquidem omnia ex re ac sententia eius peregerint, præmiorum loco non præsentem pecuniam, sed has de quibus iam dictum præfecturas, ab eo accipiunt. quarum similes apud Romanos quoq; fuisse Lucas in Actis cap. 24. testatur. Expleto inquit biennio, accepit successorem Felix Portium Festum. Econtra apud nos qui aliquo allegantur, quamuis nondum meriti, tamen abundè accipiunt ex ærario pecunias, licet plerunq; rebus infectis, reueniant. ijs per quorum possesiones iter habuerūt, graues, & equis dispositis quos podvvodas vocamus exhau-

stis.at in Moscouia nulli patet vsus talium equorum,quàm tabellario publicæ necessitatis causa præpropere currenti, quorum veloci cursu, & crebra fessorum mutatione, (nam vbique locorum sunt eam ad rem pernices & integri,) nuncij perferuntur citissimè. In Lituania verò, prodiga est diplomatum dandorum ad eiusmodi cursus Cancellaria Maiestatis vestræ Subinde delassantur Podvvodæ priuatis aulicorum rebus vehendis. fitq; tali defectu Podvvodarum, vt incauti inuadamur ab hostibus, aduentum illarum ab ipsis finibus, præuertentibus. Sunt autem non ita pridem ab hoc ministerio exemptis, qui illud fundis ad hoc antiquitus acceptis, præstare debebant, per omnes vias à regionib. Moscorum, Tartarorum & Turcarum ad Vilnam Metropolim nostram. quæ illorum priuilegia, abroganda essent, vtpote nocentia publicæ vtilitati. *Transfugæ.* Transfugarum Moscorum crebrò ad nos venientium, magna iam est multitudo, qui exploratis rebus, & pecunia, fortunis, rerum morumq; nostrorum cognitione instructi, liberè ad suos reuertuntur; dum hîc sunt consilia nostra, clàm suis produnt. at apud Tartaros in mancipiis habentur: ab Liuoniensibus verò, licet nullas illorum terras occupauerint Mosci, sed perpetuæ pacis vicinitatisque fœdere coniuncti ipsis sint, tales occiduntur. Porrò qui occidit, is vltra spolia cæsi, capit à magistratu certam pecuniam. quippe parent Siracidi monenti, ne vnquam credas inimico tuo, ne statuas eum iuxta te, ne conuersus stet in loco tuo, quibus consilijs si & nos obsecundassemus, non arces neq; prouincias Seuerenses amisissemus. quibuscum defecerunt à nobis Mozaiski & Ossomacitz. hi enim recepti inopes, desciuerunt locupletes, aucti prouinciis administrationi suæ creditis. *Mosci mali.* Est namq; hoc hominum genus dolosum, & perfidum, nusquam syncera fide vel animo firmo. reuersi in patriam ducesque sui facti, vastarunt audacius regiones nostras. Inter perfugas Moscos, qui intempestis noctibus homines Vilnæ contrucidabant, & ex carcere suæ gentis captiuos liberabant, fuit vnus presbyter qui cancellariæ regiæ clandestinè quæsita exempla fœderum, decretorum, consiliorum, ad suum Ducem mittebat. alius Eucharistiam, de quadam virgine inter communicandum seruatam, causa magicarum præstigiarum emit. & cum anno

anno 1529. omnis Vilna deflagraret, confestim hoc istud sagax & sceleratum genus hominum, principi suo indicauit. vbi in templo cathedrali divi Stanislai, plumbo tecti & fastigijs inauratis, multisque vasis aureis, argenteis atque gemmis ornati, conflagrarunt antiqua vexilla, in victorijs acquisita Roxolanorum, Moscorum, Alemanorum aliorumque populorum circiter trecenta, noua 12. quæ ibidem appensa erant, post victoriam de Moscis ad Orsam 1514. 8. Septembris, natali die Mariæ virginis: Cùm cæsorum & captiuorum octoginta millia essent. Est enim à vafro illo homine transfugæ redeunti etiam inani & inerti constitutum præmium, seruo libertas, plebeo nobilitas, debitori obærato absolutio, scelerato impunitas. Est nobis insignis arx & oppidum Kiouia. quæ tamen vt aliæ, negligitur, ex cuius pro- *De Kiouia.* montorio multa alia videri loca, vulgatum est Roxolanorum prouerbium. Princeps aliarum arcium & prouinciarum, ad amnem sita, campestres & syluestres hinc inde attingens regiones, habet fundos adeò fertiles, & cultu faciles, vt duobus saltem arati bobus idq; semel germinent copiosissimè. inculti etiam herbas proferunt, radicibus & culmis cibantes hominem: & arbores variorum nobiliumq; fructuum, atque vites. vuæ minimè agrestis racemorum grandium: labruscæ vltro in ripis quibusdam pullulant. Quercus & fagi veteres, vetustate excauatæ, examinibus apum & fauis, colore & sapore iucundissimis redundant.

Ferarum in syluis & campis tanta copia, vt bisontes, onagri, *Ferarum multitudo.* cerui, tantùm pellium gratia mactētur, quorum caro ob nimiam abundantiam omnis abijcitur, præter spinam dorsi pinguioris. damę, apri contemnuntur. Dorcarum ea vis migrantium hyeme è campis in syluas, & æstate in campos, vt tunc singuli rustici mille occidant. Castores frequentissimi in ripis domicilia habēt. Auium multitudo miranda, adeò vt pueri verno tempore repleant scaphas ouis anatum, anserum syluestrium, gruum, cygnorum, deinde pullis earum referciant viuaria. Aquilarum pullos caueis recludunt pennarum causa, sagittis aglutinandarum.

Canes nutriunt carnibus ferinis & piscibus. nam incredibili multitudine turionum aliorumque grandium piscium, ex mari sursum in dulces aquas ascendentium, scaturiunt amnes. quo-

Ingens vis piscium. rum aliqui aurei appellantur, Præsertim Pripiecz. qui certo quodam loco apud Mozir, ad ostia fluuioli Tur, recenti vnda è fontibus emanante, repletur quotannis ad Kalendas Martias, tanta piscium multitudine, vt hasta inter eos immissa hæreat ac perstet recta, perinde si terræ infixa foret. tanta est piscium densitas. quod nec ego crederem, nisi sæpe vidissem hauriri illinc pisces absque intermissione, replerique eis mercatorum exterorum die vno mille circiter currus, qui ad statum illud & anniuersarium tempus illò conueniunt.

Omnium autem qui ibi sunt fluuiorum, & maximus & fructuosissimus est Borysthenes, immensam copiam non piscium *Borysthenes.* tantum sed aliarum etiam rerum Kiouiæ suppeditans. Cui ab Oriente supra Kiouiam iunguntur amnes Dessna, Siem alijque è prouincia Sevvieriensi & Moscouia. à Septentrione verò, Occidente & Meridie, illabuntur in eum Sos, Beresina, Prypiecz, Slorzesnia, Vssa, Teterevv, Rpievv, aucti singuli fluuijs, Vechra, Propascz, Iputz, Drutz, Bobr, Titvva, Pczit, Slucz, Oressa, Stir, Horinia, Piena. fluunt & alij multi de terris Lituaniæ, Russiæ, Voliniæ & Moscouiæ, deorsum atq; sursum, per quæ omnia deuehuntur Kiouiam pisces, carnes, pelles, mel & sal ex lacunis Tauricensibus, Kaczibieiovv appellatis. vbi singulæ naves implentur sale emto denis sagittis.

Est etiam Borysthenes omnibus Maiestatis vestræ prouinciis ad arcendos incursus Tartarorum vtilis. Nam & nauigantibus eo, infra Cerkassi obstant quædam limina vndecim locis, certa habentia nomina. hæc ardua & transuersa cautibus asperis eminent. quæ transiri nisi exoneratis nauibus non possunt, & propter excelsas & abruptas riparum rupes non potest accedi nec traijci, nisi quibusdam locis infra Cirkassi. ea appellantur Kermeczik, Vpsk, Hierbedeievvrog, Massurin, Koczkosz, Tovvany, Burhun, Tyachinia, Oczakovv. quæ loca vel parua manu nauali obsessa, arcet à transitu maximas Tartarorum copias. Nam cùm *Tartarorum nauigatio.* tranant vt solent absq; nauibus, equis adnixi, & inermes & nudi: profligantur ab ijs qui armati, nauiculis proruũt ex insulis, arundinetis atq; salicetis.

Sed vt habent Precopenses Borysthenem nostrum æstate sibi infestum,

infestum, ita hyeme commodum, quia tunc sublata nauigandi opportunitate, securè greges suos extra fossam in eiusdem amnis insulis & salicetis pascunt. Ideò illum melle & lacte fluere dicunt. quippe qui supra per nemorosos & apiferos, infra per campestres & pascuos means agros, suppeditet accolis lactis mellisque copiá. propterea ij persuasum habent, colenda sibi esse fœdera, & societatem seruandam cum magno duce Lituaniæ Borysthenis Domino. qui amnis totus à summo ad imum fluit, scilicet & oriens & occidens per terras ditionis vetustæ Lituanicæ, iuxta arces à me perlustratas, Viazma, Dorohobusz, Smolensko, Dubrovvno, Orssa, Mohilevv, Rohaczovv, Bihovv, Reczicza, Lubecz, Czornobil, Kiovv, Kanievv, Czerkassi & Dassovv, aliter Oczakovv. Vbi inuoluitur mari duodecim ostiis diuisus. quorum summitas dicitur Linien. Vnde haud procul ostia Dnestri, cognomen habent Vidouo, ab Ouidio poëta, qui ea in parte ponti exulasse creditur. Ita & Ilium seu Troiam quidam existimant fuisse in territorio Kiouiensi in campis fertilissimis, nemoribusq; amœnissimis. Vbi cernuntur monumenta, extantibus adhuc multis ruinis, fornicibus, cryptis, pauimentis marmoreis, & magnorum murorum reliquiis: qui locus pridem desertus, sed ad habitandum commodissimus, vocatur nunc Torgouitza.

Arces ad Borysthenem.

Ouidii exilium.

Mercimonijs quoq; exoticis affluit Kiouia. Quidquid enim gemmarum, holoserici, auri filati, bombycis, thuris, thymiamatis, croci, piperis, aliorumque aromatum ex Asia, Perside, India, Arabia, Syria fertur in Septentrionem, Moscouiam Plescouiam, Nouogardiam, Sueciam, Daciam versus, non alia certiore, rectiore, & magis trita via quàm ea quæ à portu ponti Euxini, hoc est, ab vrbe Caffa, per portam Tauricę, & Tovvani, traiectum Borysthenis, & inde per campos Kiouiam ducens, antiqua & sulcorum suorum profunditate notissima est. Solent enim illac crebrò proficisci exteri mercatores plerunq; mille numero, aggregati in cohortes Korouani appellatas, cum multis carpentis onustis & camelis clitellatis. à quibus insigne telonium antiquitus pendebatur progenitoribus Sacræ Maiestatis Vestræ, in traiectu Borysthenis ad Touani. vbi etiam hodie extat camera lapidea fornicata integra, quam & nostrates & Tauricani & Græci,

Iter mercatorum Orientalium.

balneum Vitordinum vocant. aiuntque excubasse ibi publicanum Magni Ducis Lituaniæ. qui telonium exigebat. quod si quis non soluisset, aut scortatus esse deprehensus fuisset, is confiscatis Kiouiæ bonis omnibus, multabatur. quæ lex Ossmmicztvvo dicta, frænandę salacitatis Saracenicæ causa sancita, & multis seculis seruata, haud pridem antiquari cœpit.

Pœna scortatorum.

Quando verò mercatores duplicem Borysthenis traiectum fugientes, nec telonium Maiestatis vestræ pendere volentes, omissa via antiqua ducente per ditionem Maiestatis vestræ, à porta Tauricæ deorsum digrediuntur, rectà se campis inuijs in Moscouiam ad Putiul cōmittentes, vel ex hac redeuntes, fit vt à quibusuis spolientur, etiam à latrunculis ibi oberrantibus.

Tum verò multa lucrantur Kiouienses Præsides, publicani, mercatores, trapezitæ, naucleri, vectores, lixæ, caupones, nec antehac de hoc querebantur, aut Moscus, aut Turca, aut Tartarus. Verùm & tum commoda percipiuntur ex his Korouanis, cùm interdum brumali tempore iter habentes per campos inuium, aggeribus omnes obruuntur atq; suffocantur.

Ita cōtingit vt tuguria Kiouiensia, alioquin satis superque frugibus, fructibus, melle, abundantia & carnibus piscibusq; sordentia redundent pretiosis sericis, gemmis, zobolis alijsq; pellibus, aromatibus, adeò vt viderim ibi sericum quam vilnæ linum, & piper sale vilius esse. Est etiam fœlix & celebris Kiouia hominum affluentia, nam ad Borysthenem, & alios in eum influentes amnes, multa sunt oppida populosa, plures villæ, quarum incolæ iam inde à pueroassuescunt natare, nauigare, piscari, venari; quorum alij vel patriam potestatem, vel seruitutem vel laborem, aut pœnas vel æs alienum cæterauè fugientes: alij lucri vberioris, locique celebrioris gratia, præsertim verno tempore, in eam appellunt. Cuius arciumque infra eam sitarum experti delicias, nunquam deinceps ad suos redeunt: ac breui tempore reddūntur exercitatiores, cominus vrsos, bisontesque feriendo. quibus vitæ periculis assueti, fiunt animosiores. proinde facilius ibi habetur copia bonorum militum.

Vlodimirus Moscouum dux.

Eadem fuit Rusiæ Moscouiæq; ducum regia: in qua itidem Christiani facti sunt, quæ nunc quoque Basilicas habet vetustas è mar-

è marmore polito, & alijs exoticis materijs, sumptuosè ædificatas, plumbeis, æneis, quibusdā etiā inauratis laminis tectas. Sunt & monasteria opulentissima, maximè quod Beatæ Virgini Mariæ consecratum est. id in suis cryptis & cuniculis subterraneis habet multa sepulchra, in quibus sunt cadauera integra & arida: quæ cum sanctorum esse credantur, magna veneratione à Ruthenis coluntur. nam quæ ibi corpora sepeliuntur, eorum ab hoc animæ saluæ futuræ creduntur. propterea omni præstantiori ex longinquis quoq; locis nobilitati, & sumptibus & eleemosynis magnis, sepulturæ ibi quæruntur. Seruat & Moscorum dux non paruam pecuniam, quam ex fundis eiusdem monasterij in suam potestatem redactis, singulis annis colligit. Sed reddere ideo differt, quod hanc sedem, quæ ipsi cordi est, magnopere expetit, stirpem se esse Volodimiri hæredis Kiouiæ dictitans. non minus dolent illius homines, quod non possideant tam antiquam stemmatum sanctuariorumq; suorum cathedram.

fit Christianus cum suis Anno 988.

Superstitio.

Tot vrbis commoda, habent etiam sua incommoda. nam incolæ eius haud tuti sunt à Tartaris, ex insidijs terminos eius attingentibus. tamen non tentant vi expugnationem illius. Est & aduenis periculum à febribus ex diurno somno, & piscibus atq; fructibus auidius sumtis, prouenientibus: equis autem eorum ex graminibus eluuie pisculenti Borysthenis infectis. Segetes quoque sæpe corrumpuntur à locustis, ex maritimis locis venientibus. Nascuntur ibidem ad aquas & in syluis, vt apum ita aliorum examina insectorum, sanguini infestorum, vt bruchorum, culicum, muscarum, potissimè à Kalendis Iulij.

Locusta.

EPITOME FRAGMINIS Decimi.

RELIGIO seu lex est communis Tartaris cum Turcis atque alijs Saracenis, quæ Iudaismum olet, & hæresim quandam Nestorianam. Deum vnicum & simplicem profitetur. Christum verò, sanctum Prophetam & iudicem mundi postremum, Virgine pura natum, sed non passum credit. Circumcisionem obseruat. Sed eam tam adulta ætate suscipit, qua Ismahel patriarcha illorum circumcisus erat. Orta autem hæc secta proditur in Mecha oppido Arabiæ, Anno salutis humanæ pene sexingentesimo, suggerentibus eam Iudæis, ibi post euersam Ierusalem degentibus, machinatione cuiusdam Sergii monachi & apostatæ nefandi, in perniciem Christianitatis. Ea edita per quendam Arabem idiotam, ingenii callidissimi, qui ex auriga vir & dominus vxoris suæ diuitis factus, ad principatum etiam inter suos aspirauit. quo conatu frustratus, se nuntium & prophetam Dei finxit, & idolatris Arabibus persuasit. Hæc lex quā armis proferendam sibi esse existimant, adeò fabulosa est, vt finem bonorum & summam voluptatem statuat in voluptatibus, quibus scilicet beati gustu, tactu cæteribusque sensibus exterioribus, in futuro seculo explendi sint. Et tamen barbari in tali errore pecuino iactant se Dei proximique amore, & operibus, quibus placatur Diuina Maiestas, nos excellere. eamque ob rem propitium sibi esse Deum pollicentur, suarumq; rerum statum, vt est hominum vanitas, augustiorem indies facturum sperant.

Mahomet legem fert anno 621.

Nos autem Christianos ob magnam rerum diuinarum negligentiam, & quas alius alium afficit iniurias, iniquitates, vituperant, rident, barbaros, exleges, nomen saltem Christi gerentes, non

non legem eius præstantes, conuitijs incessunt, & sua indignos communione reputant. Iustitiam sanctè colunt. Religionem suam assiduo conatu propagant. Diem à precatione auspicantur, & precibus finiunt. quotidie mane, vesperi, & pomeridianis horis orant: nulla, quo id minus agant, necessitate auocari sesinunt. non id opus in solos sacerdotes reijciunt: etsi illos saltem à precatione & lege interpretanda habent. quilibet pro se tam clericus quam laicus pariter, & clam & coram hominibus turmatim in cœtibus Deum confitentur. Semper sobrij, aqua lustrali membra loti, terram in qua cum Deo loquuntur, imitati sacram scripturam pro sancta ducunt, & insternunt. nulli sedilibus in fanis vtuntur. characteres, præscriptos & certos gestus adhibent, palmas ad cœlū expandunt, genua flectunt, incuruantes se vsque in terram, proni in faciem procidunt, toto corde & omnibus membris orationi incumbunt, in qua nō valde multa verba repetunt, sed hæc precipua: *Soli Deo immortali Creatori cœli & terræ, præter quem non est alius, honor & gloria in secula seculorum.*

Cærimoniæ Turcicæ & Tartaricæ.

Precationi adiungunt ieiunium. affligunt enim totos dies animas suas non solum fame & siti, sed ab omni opere & verbis profanis abstinentes, nihil pręter diuina curantes vsq; ad intempestam noctem, capientes cibum non ad luxuriam, sed ad virium refectionem. Rident ieiunia nostra non fame, non siti, non cinere, non rerum diuinarum contemplatione, non vigilijs, non orationibus condita.

Ieiunium.

Sunt & in eleemosynis dandis liberales. neminem enim suorum vnquam mendicari, aut fame vel algore perire patiuntur. Adhibent tamen in hac beneficētia iudicium. nam non dant ijs qui eleemosynam in ingluuiem & luxū conuertant: sed pauperibus, debilibus, peregrinis, scholasticis, literis & ritibus Religionis ipsorum cognoscendæ studentibus.

Arcana diuina scrutari nefas prophanumque esse existimant, nostram temeritatem execrantes, quòd quidam ex nobis de iudicijs & secretis diuinis, quæ magna abyssus vocantur, in suis commessationibus disputent, nomen Diuinum frustra vsurpent. Irridēt Tartari nostros Ecclesiast. seu prophetas, taxant tēpla su-

pellectilis, sediliorum, ararum, simulacrorum, & Dei ad senectutem vergentis, & mulierem venustarum, lasciuiam mouentium plena. quibus in sedilib. honoratiores molliter recumbant, cùm res diuina agitur, dormiant. iidem obscurioris conditionis homines à consessu arceant, in templa multis cincti stipatoribus veniant, eosdem ante se, suam ostentantes superbiam stare sinant. at ne ipse quidem Tartarorum Tyrannus, ante quenquam apparitorem, stipatoremque in Synagoga stare, aut se præ vulgo illustriorem esse patitur. non vllam sedem quærit, quanto maior est, tanto se humiliorem præstat.

Nos æris pulsu, illi certis laudis diuinæ verbis ab vociferationibus ad templa se inuitant: nos quod in laudibus diuinis aures delectemus nostras buccinis, organis, harmonijs, verba precationis obscurantibus, & organis interea nostris naturalibus silentibus, reprehendunt.

Sacerdotes. Quos habent sacerdotes ij, nec auari sunt, nec ambitiosi, neq; voluptatibus, aut acquirendis possessionibus dediti, multominus negotijs secularibus implicati: sed sunt frugi, mansueti, modesti, officij sui studiosi, religioni intenti, qui tantùm præcinunt, & legem interpretantur.

Taxantur etiam sacerdotes nostri non solùm ab Ethnicis sed à vicinis nostris Ruthenis, quòd vinum, quæ est res luxuriosa, bibant, carnes manducent, neque habentes in se procreandi sibi simile appetentiam, vxores ducant. cùm nemo continens esse, nisi id ipsi Deus dederit, queat. ab his abstinent cælibes monachi Græcorum. Porro habuisse antiquitus sacerdotes suas vxores, id ex multis Sacræ Scripturæ locis liquet. Leuit. 21. 3. Esd. 9. Dan. 14. Ezech. 44. Baruch. 6. Luc. 1. 10. 18. ad Titum 1.

Quod si nunc etiam nostri facerent, abstinendo ante triduum, cùm vasa domini portanda essent: viuerent sanctius quàm in fucato cœlibatu delicati epulones. quos vri semper libidine aut concubinas alere, id est, vt Sophonias dicit, sanctū polluere necesse est. Et tamen nos in istos mercenarios officium laudandi Dei, nobis scil. graue, reijcimus: cùm ij irritent potius suis prauis moribus, quàm placent Deum. vices à nobis sibi delegatas, in vicarios negligentes reijciunt: ipsi interea ociosi & voluptatibus intenti,

intenti, vt fuci mel apum, sic isti labores populi comedunt, epulantur, seq; vestiunt splendidè. ad munia Ecclesiastica, multa simul, nondum adulta ætate, nec sua natura perspecta, temerè aspirant. negotijs secularibus & profanis se immergunt.

Et licet olim sacerdotibus nefas erat habere partem possessionum cum populo Dei, præter Decimas: tamen nostri non contenti decimis, victimis, pro peccatis, primitijs, varijs quæstibus, quos à diuitibus, egentibus, nascentibus, nubentibus, ægrotantibus, morientibus, mortuis percipiunt: adhæc præter opima prædia, multarum simul Ecclesiarum regimina, iactura publica, contra ius & rationem appetunt. cùm interim alibi potius quàm in his Ecclesijs, ad quas vt dicit Dominus, non per ostium sed tanquam fures & latrones ingressi sunt, non vocati viuant, eas laicis, negotiatoribus, lænonibus locent, vendant. multæ sunt, quæ nunquam viderunt suos pastores seu plebanos. *Quæstus sacerdotum.*

Si quis à Regni finibus fermè per omnem Lituaniam & Samagitiam atq; Russiam, in Ecclesijs prouentuum adeò bonorum, vt vna multos alere queat, suos quærat pastores, nulla inuenietur in qua pastor assiduè habitet, aut eam crebro inuisat. Ideo vacillat ouium fides, friget Dei amor, cessant diuinæ laudes. Contra tales verò multis locis detonant diuina oracula. Sed nolo me sacerdotibus, quibus nos & subijcere & ostendere debemus, post tot genera hominum à me lacessitorum reddere infensum. satis sit hæc recensuisse. quibus in meliorem statum redactis, viuemus beatius, cum laude vestræ Regiæ, sed in primis Diuinæ maiestatis.

FINIS

FRAGMINVM MICHALONIS Lituani.

IOHAN. LASICII Poloni,
DE DIIS SAMAGITARVM CÆTERORVMQVE SARMATArum, & falsorum Christianorum.
Item
DE RELIGIONE ARmeniorum.

SAMAGITIA mare attingit Balticum: cuius figura triangularis est. longitudo septuaginta milliarum Germanic. hanc separant fluuij: à Prussia Nemel, ab Curlandia regione Liuonica, Helingegau. quæ prouinciæ, aliæq; vsq; ad Borysthenem, in Pontum Euxinum illabentem, regis Poloniæ imperium agnoscunt. In ea regionis syluosæ parte, quæ ad Regiomontum, Academia, anno Christi 1544. 17. Augusti instituta, plurimum claret. Sunt antiqui Borussi: lingua, moribus ab ijs diuersi Germanis, qui hodie permisti Polonis, Prussiam incolunt.

Amplitudo regni Polonici.

Origo Samagitarum.

Tradunt veteres, maiores Samagitarum, (Zamagitis enim se ipsi vocant) Italos fuisse. Neronem Imperatorem de bellica expeditione cogitātem, illos etiam exsules Romanos, qui in Giaros sterili quadam insula habitabant, euocare in militiā voluisse. Verùm hos metu crudelitatis imperatoriæ conscensis eorum à quibus bis terúe euocabantur nauibus, ipsismet autem cæsis, ad

ad Pontum Euxinum appulisse. dehinc per saltus, vbi olim Romana venatio fuit, quiq; hodie magna ex parte excisi iam, Russiæ, Podoliæ, Lituaniæq; cognomina habent, vsq; ad mare Balticum, quod Russi, à Varetzgois quibusdam populis Liuonicis, quibus tum parebant, mare Varetzgoie appellant, penetrasse. rei huius vt idololatriam, gentisq; calliditatem, Romanæ similem: ita sermonem ex Latino quodammodo, barbaroq; cōflatum, indicium esse. Michalo fragmine quinto de moribus Tartarorum, & suorum Lituanorum, paulò hæc aliter refert. ait enim, classis Iulij Cæsaris ex Gallia in Britanniam nauigantis partem, coortis tempestatibus, ad littus Samagiticum, vbi nunc est arx Ploteli, peruenisse, sæpeque etiam hodie in illud ipsum littus, naues nauigantium, vi ventorum eijci solere. vbi Lituanorum progenitores, periculorum maris pertæsi, & prædis onusti, in tabernaculis ad focos, more militari, & adhuc in eadem Samagitia recepto, habitarint. vnde vlterius progressi, Iaczuingos atq; Roxolanos subegerint. Haud absurda coniectura. Nam & Zamagitia, propter mare vicinum, & Lituaniam superiorem, terræ inferioris appellationem habet: & Lituanorū cum Samagitis idem propemodū sermo est, idem habitus, iidem mores, eadem ferme religio. Quæ regio cùm aquilonalis sit, tam paruæ sunt in ea media æstate noctis tenebræ, vt radij solis occumbentis excipiant orientē, tumq; plurimùm agricolæ segetes demetant suas. nempe quòd duab. ante meridiem horis, totidemq; post, solis æstum ferre in agris messores nequeant. Et licet vix antè, quàm trib. post Pentecosten hebdomadis, agros conserant: tamen id ardòr cœlestis efficit, vt eodem quo & apud nos tempore, messis fiat: æstas haud diu duret. similis in Moscouia feruor, (mirandam diuinam prouidentiam) sex hebdomadis, frugibus maturitatem adfert.

Mare Varetzgoie.

Ploteli arx Samagitica.

Zamagitia terra inferior.

Solis ingens æstus.

Secus fit in Islandia vltra Sueciam, sub ipso polo. ibi enim sex mēsium dies est, totidem est nox. cuius tenebras focus perennis dispellit. qui locus abest à Stokholm metropoli & regia Sueciæ, trecentis milliaribus Germanicis. Id Iohannes tertius, Rex Suecorum, qui nunc rerum potitur, cuiq; sua ditio bene nota est, cuidam medico, is autem mihi narrauit. Sita est Stokholm in ipso littore, trans mare Balticum, è regione Samagitiæ.

Dies sex mensium.

Solum Samagiticum fertile quidem est, sed cultores eius pigri, nec alijs quam ligneis, superstitione quadam, in arando vtuntur vomeribus. Idcirco inopia panis laborant, cuius loco rapis tostis, quæ minori labore proueniũt, & instar humani capitis nascuntur, vesci soliti. His verò absumtis, ad panem comedendum se conuertunt. Mellis albi, lactis, butyri, pecoris diuites, pinguib. pascuis felices. Nec eis pisces desunt. Potus, hydromel & ceruisia est. Hæc in vasis, ex corticib. factis, positis intus saxis feruidis, ex aqua, frumento, lupulo, vna nocte cocta, protinus fæces accipit, posteroq; die bibitur. percommoda alui purgandæ ratio. Præcipui cornibus vrorum ornatis (boues sunt syluestres, valde feroces) pro poculis vtuntur: strenuos compotatores, cantharo hydromelis, indusio, mantili, manicis, sudariolo, seu re quauis alia operis domestici libenter donant. quib. ceruisia non est, ij aquam bibunt, proceri, agiles, animosi, robusti, ad arma promti.

Ceruisia.

Samagitæ annosi.

Viuunt autem vulgo centum annos. sunt enim frugales, & modicis exercitijs dediti.

Wladislai Iagiellonis Polonorum Regis opera, Anno humanæ salutis 1413. (Lituani autem 1387.) Christiana religione initiati sunt. quibus episcopum Miednicij præfecit. duodecim parœcos dedit. dandis pecunijs, pannis cæruleis, pileisq; rubris, iuxta montem Schatria, ad baptismum amplectendum illexit. Vbi monacho regio, de mundo Adamoque à Deo creatis concionante, vnus illorum hisce verbis Regem compellauit: *Mentitur inquit, ô Rex, hic homo, non admodum senex, multi enim nostrûm centesimum annum superauerunt: tamen hæc minimè recordantur. eadem illis pueris quæ senibus cœli conuersio, eadem temporum vicissitudo, idem cursus & fulgor syderum fuit.* Cui Rex, officio & ipse concionatoris fungens, *Verum ais, inquit: nec falsum sacerdos, qui non sua ætate, sed multis ante seculis mundum diuino mandatu ex nihilo extitisse dixit.*

Res pecuaria.

Rei pecuariæ adeò sunt studiosi, vt vnus agricola sexaginta, alius duplo plus, paullò minus alius cornuti pecoris, præter oues & capras alat. Equi illorum paruuli: ob nimium opinor frigus: sed tamen robusti. quorum vno, Anno Domini 1554. duobus florenis Vilnæ in Lituania emto, & trahæ iuncto, vectus

vectus sum cursu celeri vsque Cracouiam, 120. mil. Germanicarum. Fœminæ pecori curando, viri agris colendis dant operam. iidem deni aut viceni, plures vel pauciores, in vno tugurio linum, lanam, cannabim pectunt, nent, texunt, vestes conficiunt. Quicquid horum superest, id Rigam vel Regiomontum, hinc in Hollandiam, pretio tolerabili mittunt. lino enim maximè & cannabi, agros suos complent. Dispersè per syluas, campos degunt. rara oppida, nec pagos nimium multos, arces autem munitas nullas habent. quorum fenestræ meridiem versus spectant. Studio Sigismundi Augusti Regis, anno 1572. 7. Iulij mortui, in cœtus & societates conuocati. Mapalia, quæ turres appellant, sursum angusta, atque quà fumus & fœtor exeat, aperta, ex tignis, asseribus, stramine, corticibus faciunt. in his homines cum omni peculio, in pauimento tabulato stante, habitant. ita paterfamiliâs omnia sua in conspectu habet, & feram noxiam, & frigus à pecore arcet, ad ostium cubat, deastro foci custodia commissa, ne vel ignis damnum domicilio det, vel prunæ nocte extinguantur. Vbi crebrò accidit, vt vel sus vel canis ex olla in foco stante, carnes auferat: aut rostrum, aqua feruente, lædat. Qui in pagis degunt, ii caulas separatas ab æstuariis habent. Tam hi quàm illi plumis concisis, culcitras farciunt. quæ non possunt non pungere, & vigilantem reddere cubantem. Paterfamiliâs, mactatis autumno auibus domesticis, iisque pecudibus ac bobus, quos se brumæ tempore non posse alere animaduertit, genio cum suis indulget: quæq; supersunt, ea doliis inclusa, maritimis vendit. foras egressus, alcem, aprum, ceruum, auem, sciurum, bombarda, venabulo, balista, arcu conficit. Sunt enim iaculatores & sagittarii præstantes. in quorum curribus nihil omnino ferri inuenias. omnia lignea, rotæ ex radicibus arborum inflexis, quas procul audias venientes, axibus, quòd eas non illinant, stridentibus.

Linum.

Mapalia.

Feræ.

Virgines.

Virgo nõ antè nubit, quàm triginta annos, aut minimùm 24. expleat: & ipsa manibus suis, aliquot corbes vestium, omnibus cum sponso venientibus dispertiendarum paret. tum enim dat singulis, vel indusium, vel mappam, vel mantile, vel texta è lana tibialia, vel chirothecas. hæc in agrum non prodit, ni prius pa-

rentibus inſeruiat, & in omnibus morem gerat. idem facit filius. ac præmiſsi qui eam in matrimonium petát, primum omnium, num progenitoribus ſit morigera, reiq́; familiaris ſtudioſa, conſiderant. Et viri & fœminæ, ſunt amantiſsimi honeſti. rariſsima apud eos homicidia, furta, ſtupra, inceſtus.

Pudicitia.

puella ſtricto perſequitur cultro ſe ad impudicitiam ſolicitantem. quæ duobus, ante & retrò pendentibus de zona tintinnabulis, nocte autem ſemper cùm face incedit. quibus rebus monentur parentes, vbi ſit, quidúe agat filia. Pater filio vxorem quærens, nec formam nec dotem ſpectat, ſatis eſſe ducens dotatam, ſi ſit morata. quæ ſucci plena atq; adulta, magna cum lætitia, in domum ſoceri inducitur.

Præfecti.

Præfectos, quos Ciuonias vocant, non adeunt, quin ipſis aliqua munuſcula adferant. Summus toti regioni, dum viuit, præeſt Lituanicus Senator. hodie eſt vir eximius Iohan. Kiſska Palatino Vitepſcenſi natus. inter eos qui minoris dignitatis ſunt, fuit Iacobus Laſcouius, Polonus nobilis, tractus Caliſsienſis, ex quo hæc percepi: qui in hiſce hominibus piè erudiendis, & in certa loca cogendis, Sigiſmundi Auguſti iuſſu, plurimum operæ impendit. cui Deum Vnum prædicanti, reſpondebant idololatræ: *Quid tu nobis Vnicum Deum, quaſi omnibus noſtris potentiorem inculcas? plus vno multi poſſunt, plura plures agunt.* Idem agros illorum ad 40. iugerum millia dimenſus eſt. horum tria vni ruſtico aſsignata, præter alia minutiora commoda, quinq; florenos fructus annui Regi adferunt.

Iuſsi autem à Laſcouio arbores excindere, inuitiſsimi id, nec prius, quàm ipſemet inchoaret, fecerunt. deos enim nemora incolere perſuaſum habent.

Sylvæ.

Sequitur perſuaſionem effectus. nam in ſyluis illorum horrenda quædam viſa ac ſpectra, tam aurib. quàm oculis ſpectantium ſeſe offerunt. Tum vnus inter alios percontari, num etiam decorticare arbores liceret. annuente præfecto, aliquot magno niſu hæc repetens decorticauit: *Vos me meis anſeribus, gallisq́; gallinaceis ſpoliaſtis: proinde & ego nudas vos faciam.* credebat enim demens deos rei ſuæ familiari pernicioſos, intra arbores & cortices latere. Quorum tantus penè eſt numerus, quantus

Dii.

aliorum apud Heſiodum. Nam præter eum, qui illis eſt Deus Auxtheias Viſſagiſtis, Deus omnipotens atq; ſummus, permul-

tos Ze-

tos Zemopacios, id eſt, terreſtres ij venerantur, qui nondum verum Deum Chriſtianorum cognouerunt. Percunos Deus tonitrus illis eſt. quem cœlo tonante, agricola capite detecto, & ſuccidiam humeris per fundum portans, hiſce verbis alloquitur: *Percune deuaite niemuski vnd mana, dievvu melſu tavvi palti mieſſu. Cohibe te inquit Percune, neue in meum agrum calamitatem immittas. ego verò tibi hanc ſuccidiam dabo.* Verùm poſtquam nymbus præterit, carnes ipſe abſumit. Percuna tete, mater eſt fulminis atque tonitrui: quæ ſolem feſſum ac puluerulentum, balneo excipit: deinde lotum & nitidum, poſtera die emittit. Audros deo, maris cæterarumq́ue aquarum cura incumbit. Algis, angelus eſt ſummorum deorum. Auſca, dea eſt radiorum ſolis vel occumbentis, vel ſupra horizontem aſcendentis. Bezlea dea veſpertina, Brekſta tenebrarum. Ligiczus, is Deus eſſe putatur, qui concordiæ inter homines, & auctor eſt & conſeruator. Datanus donator eſt bonorum, ſeu largitor. Kirnis cæraſos arcis alicuius ſecundùm lacum ſitæ curat. in quos, placandi eius cauſa, gallos mactatos inijciunt, cæreosq́ue accenſos in eis figunt. nimirum ſicut ille auarus Euclio apud Plaut. in Aul. ture ac corona laris gratiâ aucupabatur:

Nunc tuſculum emi, & haſce coronas floreas,
Hæc imponentur in foco, noſtro lari:
Vt fortunatas faciat natæ nuptias.

Kremata porcorum ac ſuum eſt Deus. cui ſimiliter focos excitant, & ceruiſiam ſuper eas fundunt. Pizio iuuentus, ſponſam adductura ſponſo, ſacrum facit. puellæ quoque quendam Gondu adorant & inuocant. Modeina & Ragaina ſylueſtres ſunt dij; vti Kierpiczus huiusq́ue adiutor Siliniczus, muſci in ſyluis naſcentis: cuius in ædificiis magnus apud illos eſt vſus. huic etiam muſcum lecturi ſacrificant. Tavvals Deus, auctor facultatum. Orthus lacus eſt piſcoſus quem colunt, quemadmodum & Ezernim lacuum Deum.

Sunt etiam quædam veteres Nobilium familiæ, quæ peculiares colunt deos. vt Mikutiana Simonaitem, Michelouiciana Sidzium, Schemietiana & Kiesgaliana Ventis Rekicziouum, aliæ alios. Kurvvaiczin Eraiczin agnellorum eſt deus; eſt & Gardunithis cuſtos eorundem recens editorum. Prigirſtitis hic eſt,

qui murmurantes exaudire putatur. iubent igitur vt quis summisso murmure, hoc vel illud loquatur, ne clamantem Prigirstitis audiat. Derfintos pacem conciliat. vt & Bentis is creditur, qui efficit, vt duo vel plures simul, iter aliquò instituant. Lavvkpatimo ituri aratum vel satum supplicant. Priparscis est, qui augere nefrendes existimatur. Ratainicza equorum habetur deus, vt Walgina aliorum pecorum. Krikſthos cruces in tumulis sepulchrorum custodit.

Diuinationes.

Sunt & omnium auguriorum, diuinationumque obseruantes. habentq; Apidome mutati domicilij deum. nato cuiusuis generis, vel cœco vel debili pullo, actutum sedes mutantur. Quin ipse quoque rex Wladislaus, gente Lituanus, has à matre superstitiones didicerat, vt eum diem infaustum sibi futurum crederet, quo primùm calceum sinistrum fortuitò accepisset. adhoc mouebat se interdum in gyrum stans pede vno, foras è cubili proditurus. quorum similia multa obseruantur ab Samagitis. Ita olim Germani, Plutarcho in Caio Cæsare teste, nō antè prælium cum hoste committebant, quàm noua luna fulsisset. Et nostrûm quidam infeliciter se venaturos sibi persuadent, si domo egressis mulier occurrat, seu quis certum numerum capiendorum leporum, vulpium, luporum nominet. Krukis suum est deus. qui religiosè colitur ab Budraicis, hoc est, fabris ferrarijs. Lasdona auellanarum, Babilos apum dij sunt. hunc Rusſi Zosim cognominant. Sunt etiam deæ, Zemina terrestris, Austheia apum. vtræq; incrementa facere creduntur: ac cùm examinantur apes, quò plures in alueos aliunde adducant, & fucos ab eis arceant, rogantur.

Mellis copia.

Nusquam autem vel candidius mel est, vel minus cæræ habet. vnde illæ massæ cæreæ, quæ nauibus in Belgium, Galliam, Hispaniam deportantur. Præterea, sunt certis agris, quemadmodum nobilioribus familijs, singulares dei. videlicet Deuoitis agri Poiurskij, Vetustis Retovvskij, Guboi ac Tvverticos Sarakovvskij, Kirnis Plotelscij. Vielona Deus animarum. cui tum oblatio offertur, cùm mortui pascuntur. dari autem illi solent frixæ placentulæ, quatuor locis sibi oppositis, paullulum discissæ. eæ Sikies Vielonia pemixlos nominantur. Warpulis is esse puta-

putatur, qui sonitum ante & post tonitru, in aere facit. Cæterùm quid agant Salaus, Szlotrazis, Tiklis, Birzulis, Siriczus, Dvvargonth, Klamals, Atlaibos, alijque eius generis, non libenter id Christianis aperiunt. Opitulatores illos hominum esse, ideoque inuocandos persuasum habent. Numeias, vocant domesticos. vt est Vblanicza deus, cui curæ est omnis supplex. Dugnai dea, præest farinæ subactæ. Pesseias, inter pullos omnis generis recens natos, post focum latet. Traȩitas Kirbixtu, deaster est, qui scintillas tugurii restinguit. Alabathis, quem linum pexuri in auxilium vocant. Polengabia diua est, cui foci lucentis administratio creditur. Aspelenie, angularis. Budintaia, hominem dormientem excitat. Matergabiæ deæ offertur à fœmina ea placenta, quæ prima è mactra sumta digitoque notata, in furno coquitur. hanc pòst, non alius quàm paterfamiliâs, vel eius coniux comedit. Simili modo Rauguzemapati offerunt, posteaque ebibunt, primum vel ceruisiæ vel aquæ mulsæ, è dolio haustum. quem Nulaidimos, illum autem primum è massa exemtum panem, Tasvvirzis cognominant. Eidem ceruisiario deo offert, id est, præbibit paterfamiliâs ceruisię, post fęces acceptas intumescentis, spumantem pateram. tum demum & alii hauriunt. Si is absit, mater id familiâs facit. Luibegeldas diuas venerantes, ita compellant: *Luibegelda per mare porire sekles gillie skaute. Vos dea transmisistis ad nos omnia semina silginea, in putamine glandis.*

Dii domestici.

Festum post collectas fruges.

Eadem turba agrestis, vt est auctor Alexander Gvvagninus, in Sarmatia, sub finem mensis Octobris, frugib. planè collectis, solenne quoddam sacrificiũ, eo modo celebrat. nam omnes ad sacras epulas coacti, mensæ fœnum, postea panem, ac ex vtraq; parte duo vasa ceruisiæ plena imponunt. deinde adducta vtriusque sexus domestica animalia, sue, gallo, ansere, vitulo, & si quæ sunt alia, hoc ritu mactant. primus augur, certa verba prolocutus, animalis caput cæteraq; membra fuste verberat: quem turba idem agens, ac hæc dicens sequitur: *Hæc tibi ô Zemiennik deus, gratias agentes offerimus: quòd nos hoc anno incolumes conseruaris, & omnia nobis abundè dederis. idem vt & in posterum facias, te oramus.*

Antequam verò ipsi comedant, uniuscuiusq; ferculi portiunculam abscisam, in omnes domus angulos, ista dicentes abijciũt:

Accipe ô Zemiennik grato animo ſacrificium: atq; lætus comede. tum demum ipſi quoq; prælautè epulantur. qui ritus etiam in nõnullis Lituaniæ atq; Ruſsiæ locis obſeruatur, ac Ilgi dicitur. fieri id ſacrum Laſcouius ait poſtridie feſti omnium ſanctorum. qui dies eſt ſecundus Nouembris. quo die Samagitæ, Pruſsis, quibus erant *Pruſſi trucidati.* oppignerati, quique in terra ipſorum fuere, exciſis, Vitoldo duci Lituaniæ, (qui diem obiit 1430. 27. Octob. Wladislai Iagiellonis, patruelis frater) ſeſe vltro ſubiecerunt. Tertio poſt Ilgas die, deum Vvaizganthos colunt virgines, vt illius beneficio, tam lini quàm cannabis habeant copiam. vbi altiſsima illarum, impleto placentulis, quas Sikies vocant, ſinu, & ſtans pede vno in ſedili, manuq; ſiniſtra ſurſum elata, librum prolixũ, vel tiliæ vel vlmo detractum (ex quo etiam calceos contexunt) dextra verò craterem ceruiſiæ, hæc loquens tenet: *VVaizganthos deuaite auging mani linus teip ilgies, ikmani, nie duokmunus nogus eithi. Waizganthos, inquit, produc nobis tam altum linum, quàm ego nunc alta ſum; néve nos nudos incedere permittas.* poſt hæc craterem exhaurit (nam & fœminæ bibaces ſunt) impletumq; rurſum, deo in terram effundit, & placentas è ſinu eijcit, à deaſtris, ſi qui ſint VVaizgantho, comedendas. Si hæc peragens, firma perſtet, bonum lini prouentum anno ſequenti futurum, in animum inducit. Si lapſa, pede altero nitatur, dubitat de futura copia, fidemq; effectus ſequitur. Iiſdem fe- *Parentalia.* riis, mortuos è tumulis ad balneum & epulas inuitant: totidemque ſedilia, mantilia, indußa, quot inuitati fuerint, in tugurio eam ad rem præparato ponunt, menſam cibo, potu onerant. dehinc in ſua mapalia reuerſi, triduum compotant. quo exacto, illa omnia in ſepulcris, potu perfuſis, relinquunt. tandem etiam manibus valedicunt. Interea hæc ij auferunt, qui in ſyluis arbores cineris cauſa, quo fullones tranſmarini carere nequeunt, comburunt, & aſſeres faciunt, nauium materiam, in Oceanum mittendam. conſimili huic errore, Chriſtiani, ſeculo beati Auguſtini, in cœmiteriis apud memorias defunctorum, vt idem epiſtola 64. ait, comeſſabantur.

Liuonum ſuperſtitio. Veri quoq; Liuones hoc tempore, qui dura Germanorum ſeruitute premuntur, monumentis mortuorum cibum, potum, ſecurim, & nonnihil pecuniæ, hac cum nænia imponunt: *Tranſi* inquit *ô miſer ab hoc rerum ſtatu, in mundum meliorem. Vbi non tibi Germani amplius, ſed tu illis imperabis. habes arma, cibum, viaticum.*

Cùm autem nimia æſtatis breuitas, fruges demeſſas, planè ſiccari non ſinat, fit hoc ſub tectis ad ignem. Tum verò precandus eſt illis hiſce verbis Gabie deus: *Gabie deuaite pokielki, garunuleiski kirbixſtu. Flammam inquit eleua, at ne demittas ſcintillas.*

Smik Smik Perleuenu. hunc deum Lituani vere araturi, venerantur. prima agri lyra vomere facta, huius ipſius eſt. quam huic qui illam duxit, toto anno tranſgredi haud licet: alioquin diuum ſibi infenſum haberet.

Skierſtuvves feſtum eſt farciminũ. ad quod deum Ezagulis ita vocant: Vielona velos atteik musmup vnd ſtala. *Veni,* inquit, *cum mortuis, farcimina nobiſcum manducaturus.*

Aitvvaros eſt incubus, qui poſt ſepes habitat. id enim verbum ipſum ſignificat.

Kaukie, ſunt lemures, quos Ruſsi Vboze appellant: barbatuli, *Lemures palmares.* altitudine vnius palmi extenſi: ijs qui illos eſſe credunt conſpicui: aliis minimè. his cibi omnis edulii apponũtur. quod niſi fiat, ea ſunt opinione, vt ideo ſuas fortunas (id quod accidit) amittant: nutriunt etiam quaſi deos penates, nigri coloris, obeſos & quadrupedes, quoſdam ſerpentes, Giuoitos vocatos. hos timore perculſi, dum ex antris ædium ad paſtum appoſitum prorepunt, ſeq; paſti in ea recipiunt, aſpiciunt & colunt. Si quid infortunij accidat cultori, ſerpentem malè fuiſſe tractatum cenſent.

Srutis, & Miechutele, colorum dij ſunt: quos in ſyluis, colores ad lanam tingendam quærentes venerantur.

Iſti ſunt pluresq; alij vulgi Samagitarum dij. quemadmodum apoſtolus, Sunt inquit dij & domini multi, 1. Corin. 8. at Chriſtianorum Vnus Deus eſt, Pater Filius & Spiritus Sanctus. in cuius nomine ſacrum Baptiſma ſumitur. & in quem, iuxta formulam ſymboli Apoſt. creditur. qui perſonis diſcreti, eſſentia vnũ ſunt. omnia quæ hæc mundi machina continet, fecerũt, neq; poſthæc otiantur: Pater inquit meus vſq; adhuc operatur & ego operor.

Et tamen permulti ſunt Chriſtiani, qui hoc vnico omnipotẽti numine minimè contenti, & tam Samagitas quàm veteres idololatras imitati, alios ſibi ipſis adiutores finxerũt. Iohannes enim

Dii falſorũ Chriſtianorum.

& Paulus ſuperſtitioſa opinione illorum, quæq; noxia à ſegetib. auertit. Ignis Agathæ, ceu Veſtæ datus eſt curãdus. Florianus miles, incendia reſtinguit. vt quidem hæc lib. de Origine erroris recenſet Bullingerus. Nicolaus, quaſi alter Neptunus, maris curam gerit. idem à periclitantibus, iis vocibus excitatur: O ſancte Nicolae, nos ad portum maris trahe. eidem ſacella in littorib. conſecrãtur. huius collega eſt, gigas Chriſtoph. Canitur & B. Virgini, exortis procellis iſtud carmen: Aue maris ſtella, Dei mater alma. Et, Salue Regina miſericordię, vita & ſpes noſtra. ad te clamamus. Vino præeſt Vrbanus. Rubiginem frumẽti purgat Iodocus. Brucos depellit Magnus. Anſeres curæ ſunt ſancto Gallo, oues Vendelino, equi Eulogio, boues Pelagio, porci Antonio. alia nomina in alijs regionibus, harum ſimiliumq; rerum ficti curatores habent. Gertrudis mures à colis mulierum abigit. Literarum ſtudioſi Catharinam Virginem Alexandrinam, veluti alteram Mineruam, alii verò Gregorium, quaſi Mercurium colunt, ac huius die feſto primùm, ſuos natos, in ſcholas mittunt. Pictores Lucã, Medici Coſmam & Damianum, fabri Eulogium, calcearij Criſpinum, Sarctores Gutmanũ, figuli quendam Goarum, venatores Euſtachium ciuem Romanum, ſcorta Aphram & Magdalenam inuocant. ſupplicant alij alijs, ac in periculis vitæ conſtituti, vota illis nuncupãt: in hos tutelam ſui reijciunt. Imploratur in peſtilentia, vt olim Apollo, Sebaſt. in morbo Gall. Rochus in febri Petronella, in dolore capitis Ita: dentium Apollonia, in partu Margarita, quemadmodũ quondam Iuno ac Lucina. Ioh. Euang. à veneno conſeruat. Wolphgang. contractorũ Medicus eſt. Romanus Dæmoniacos ſoluit. Marcus mortem repentinam auertit. Martinus miſeriam. quem & ego puer hiſce verbis inclamabam: *Martine Sancte Pontifex, ſis miſerorũ opifex. fer opem tuis famulis.* Leonhard. vinctorum compedes rumpit. Vincentius amiſſa reſtituit. Valentin. comitiali morbo laborantes ſanat. quapropter nos epilepſiã, Valen. morbũ vocamus. Suſanna ignominiã arcet. Otilia oculis ægrotorũ medetur. collo præſidet Blaſius, ſcapulis Laur. Eraſmi venter eſt totus. Nicolao apud nos gregis eſt cuſtodia iniuncta. Andreas, vigilia feſti ſui inuocat⁹ à ieiunis puellis, futuros illarum viros præmonſtrat. Barbara à cædib. bellicis conſeruat. quocir-

quocirca tum à noſtræ gentis hominibus in auxilium magnis clamoribus elicitur. inuocatur & virgo Maria. cuius carmen, Deipara vocatum, ab ijs qui in bellum proficiſcuntur decantatur, legibus additum noſtris. *Adeò etiam periculoſiſſimis temporibus, Deus ſeruator omnium, ſuo honore fraudatur.*

Præterea ſunt patroni terrarum conſtituti, non diuina, ſed humana voluntate. Stanislaus Polonorum, Albertus Pruſſorum, Nicolaus Moſcorum, Martinus Germanorum, Iacobus Hiſpanorum, Dionyſius Gallorum, Petrus, Paulus Romanorum, Marcus Venetorum, tres magi Colonienſium, Ambroſius Mediolanenſium, virgo Maria & Ladislaus Hungarorum. quod etiam aurei nummi teſtantur. at quis non videt, quomodo ij ſuas prouincias tueantur?

Defenſores prouinciarum.

Ridet hæc ſuauiter in Naufragio Eraſmus Rot. minimè Lutheranus. Quamobrem tu, inquit, nullius diui præſidium imploraſti? Quia ſpacioſum eſt cœlum, reſpondet alter. Si cui diuo commendaro meam ſalutem, puta ſancto Petro, qui fortaſſe primus audiet, quòd adſtet oſtio, priuſquam ille conueniat Deum, priuſquam exponat cauſam, ego iam periero. rectà adibam ipſum patrem, dicens: Pater noſter qui es in cœlis. nemo diuorum illo citius audit, aut libentius donat quod petitur.

Hiſtoria delectat.

Verùm cùm omnis hiſtoria quoquo modo ſcripta delectet, non pigebit lectoris cauſa de moribus noſtrorum Sarmatarum plura adſcribere. Hæc igitur Iohannes Meletius Archipresbyter Eccleſiæ Liccenſis in Pruſsia, Anno ſalutiferi partus 1553. ad Georgium Sabinum poëtam, litteris prodidit. quæ etiamnum multis in locis obſeruantur. Die Georgij ſacrificium faciunt Pergrubrio. qui florum, plantarum omniumque germinum deus creditur. Sacrificulus enim, quem Wurſchaiten appellant, tenet dextra obbam ceruiſiæ plenam, inuocatoq; dæmonij nomine, decantat illius laudes. *Tu*, inquit, *abigis hyemem, tu reducis amœnitatem veris. per te agri & horti vigent, per te nemora & ſylua frondent.* hac cantilena finita, dentibus apprehendẽs obbam, ebibit ceruiſiam nulla adhibita manu: ipſamq; obbam, ita mordicus epotam, retro, ſupra caput iacit. quæ cùm è terra ſublata, iterum impleta eſt: omnes quotquot adſunt, ex ea bibunt ordine, atq; in laudem

Plura de diis Sarmaticis.

Pergrubrij hymnum canunt. postea epulantur tota die & choreas ducunt.

Similiter, quando iam segetes sunt maturæ, rustici in agris ad sacrificium congregantur. quod lingua Ruthenica Zazinek vocatur, id est, initium messis. hoc sacro peracto, vnus è multitudine electus, messem auspicatur, manipulo demesso, quem domum adfert. postridie omnes, primò illius domestici, deinde cæteri quicunque volunt, messem faciunt. facta autem messe, solenne sacrificium pro gratiarum actione conficiunt. quod Ruthenica lingua Ozinek, id est, consummatio messis dicitur. in hoc sacrificio, Sudini Borussiæ populi, apud quos succinū colligitur, capro litant. congregato namq; populi cœtu in horreo, adducitur caper. quem Vvurschaites mactaturus, imponit victimæ vtramq; manum, inuocatque ordine dæmones, quos ipsi deos esse credunt. videlicet Occopiruum, deum cœli & terræ, Antrimpum maris, Gardoeten nautarum, Potrympum fluuiorum ac fontium, Piluitum diuitiarum, Pergrubrium veris, Parguum tonitruum ac tempestatum, Pocclū inferni ac tenebrarum, Pocollum aëreorum spirituum, Putscetum sacrorū lucorum tutorem, Auscūtum incolumitatis & ægritudinis, Marcoppolum magnatum & nobilium, Barstuccas, quos Germani Erdmenlin, hoc est, subterraneos vocant. His inuocatis, quotquot adsunt in horreo, omnes simul extollunt caprum, sublimemq; tenent, donec canatur hymnus. quo finito, rursus eum sistunt in terra. Tum sacrificulus admonet populum vt solenne hoc sacrificium, à maioribus piè institutum, summa cum veneratione faciant, eiusque memoriam religiosè ad posteros conseruent. Posthæc mactat victimam, sanguinemque patina exceptum dispergit; carnem verò tradit mulieribus, eodem in horreo coquendam. quæ interea dum caro coquitur, parant è farina siliginea placentas. quas non imponunt in furnum, sed viri focum circumstantes, hinc illinc per focum iaciunt absque cessatione, quoad indurescant & coquantur. his peractis epulantur atque helluantur tota die ac nocte, vsque ad vomitum. deinde summo mane extra villam progrediuntur. vbi reliquias epularum certo in loco

Inuocatio deorum.

Victima.

loco terra operiunt, ne vel à volatilibus, vel à feris diripiantur. postea suam quisque domum repetit.

Cæterùm ex omnibus Sarmatiæ gentibus, Borussis, Liuonibus, Samagitis, Russis, multi adhuc singulari veneratione colunt Putscetum, qui sacris arboribus & lucis præest. is sub sambuco domicilium habere creditur. cui passim homines litant, pane, ceruisia aliisque cibis sub hac arbore positis, precantes eum vt placatum efficiat Marcoppolum, deum magnatum & nobilium, ne graui seruitute ab illis premantur: vtque sibi mittantur Barstuccæ, quibus in domibus ipsorum viuentibus, credunt se fieri fortunatiores. His ipsi collocant vesperi in horreo super mensam, mappa stratam, panes, caseos, butyrum & ceruisiam. nec dubitant de fortunarum accessione, si mane hos cibos absumptos reperiant. Quòd si aliquando intactus cibus in mensa remanet, magna anguntur cura, nihil non aduersi intuentes. Eædem gentes colunt spiritus quosdam visibiles, qui lingua Ruthenica Coltki, Græca Cobili, Germanica Coboldi vocantur. Hos habitare credunt in occultis etiam ædium locis, vel in congerie lignorum. Nutriūtque eos lautè omni ciborum genere, eo quòd afferre soleant altoribus suis frumentum, ex alienis horreis furto ablatum. Cùm verò hi spiritus alicubi habitare atque ali cupiunt, hoc modo suam erga patremfamilias voluntatem declarant: in domo congerunt noctu segmenta lignorum, & mulctris lacte plenis imponunt varia animalium stercora. Quod vbi paterfamilias animaduerterit, nec segmenta dissipauerit, nec stercora è mulctris eiecerit, sed de inquinato lacte cum omni sua familia comederit, tunc illi apparere permanereque dicuntur. Præterea Lituani & Samagitæ in domibus sub fornace, vel in angulo vaporarij vbi mensa stat, serpentes fouent. quos numinis instar colentes, certo anni tempore precibus sacrificuli, euocant ad mensam. Hi verò exeuntes per mundum linteolum conscendunt, & super mensam morantur. Vbi delibatis singulis ferculis, rursus discedunt, seque abdunt in cauernis. Serpentibus digressis, homines læti fercula prægustata comedunt, ac sperant illo anno omnia

Penates.

Cultus spirituum.

Serpentum.

proſperè ſibi euentura. Quod ſi ad preces ſacrificuli, non exierint ſerpentes, aut fercula appoſita non delibauerint: tum credunt ſe anno illo ſubituros magnam calamitatem. Adhęc eædem gentes habent inter ſe ſortilegos, qui lingua Ruthenica Burti vocantur. ij Potrimpum inuocantes, cæram in aquam fundunt, atq; ex imaginibus inter fundendum expreſsis, pronuntiant & vaticinãtur, de quibuſcunq; rebus interrogati fuerint. Noui ipſe mulierculam, quæ cùm diu reditum filij abſentis expectaſſet, ex Boruſsia in Daniam profecti, cõſuluit ſuper eo ſortilegum. à quo edocta eſt, naufragio illum perijſſe. cæra enim in aquam fuſa, expreſsit formam fractæ nauis, effigiem reſupini hominis iuxta nauim fluitantis. Apud Samagitas eſt mons ad fluuium Neuuaſſam ſitus, in cuius vertice olim perpetuus ignis à ſacerdote conſeruabatur, in honorem Pargni, qui tonitruum & tempeſtatum potens eſſe, à ſuperſtitioſa gente adhuc creditur.

Hactenus de ſacrificijs. nunc de ritibus nuptiarum ac funerum, non minus ridicula quàm ſuperſtitioſa narrabo.

Ritus nuptiales.

Apud Sudinos, Curonenſes, Samagitas, & Lituanos nubiles puellæ multis in locis geſtãt tintinnabulum. quod funiculo alligatum, è cingulo dependet vſq; ad genua. nec ducuntur, ſed rapiuntur, in matrimonium, veteri Lacedęmoniorum more à Lycurgo inſtituto. rapiuntur autem non ab ipſo ſponſo, ſed à duobus eius cognatis. ac poſtquam raptæ ſunt, tunc primùm requiſito parentum conſenſu, matrimonium contrahitur. Cùm nuptiæ celebrantur; ſponſa ter ducitur circa focum: deinde ibidem in ſella collocatur. ſuper quam ſedenti, pedes lauantur aqua. qua lectus nuptialis, tota ſupellex domeſtica, & inuitati ad nuptias hoſpites conſperguntur. Poſtea ſponſæ os oblinitur melle & oculi teguntur velamine. quibus ſic velatis, ducta ad omnes ędium fores, iubetur eas attingere dextroque pulſare pede. ad ſingulas fores circumſpergitur tritico, ſiligine, auena, hordeo, piſis, fabis, papauere, ſequente vno ſponſam cum ſacco pleno omnis generis frugum. Cumq; eam hic circumſpergit, inquit, nihil defuturum ſponſæ ſi religionem coluerit, remq; domeſticam ea qua debet diligentia curauerit. His actis aufertur ſponſæ velamen ab oculis, & conuiuium celebratur. Similis olim obnubendi ratio

capitis

capitis apud Latinos, nuptæ nuptiarumq; nomen dedit. Veſperi ſponſæ ad lectum deducendæ, abſcinduntur inter ſaltandũ crines. tum ei à mulieribus imponitur ſertum, albo linteolo obuolutum. quod vxorib. geſtare licet donec filium pepererint. tãdiu enim ſe pro virginibus gerunt. ad extremum introducitur in cubiculum: pulſataq; & verberata aliarum pugnis, non iratarum, ſed nimia quadam læticia geſtientium, in lectum inijcitur ſponſoq; traditur. tum pro bellarijs afferuntur teſticuli caprini vel vrſini. quib. illo nuptiali tempore manducatis, creduntur coniuges fieri fœcundi. Eandem ob cauſam nullum animal caſtratum ad nuptias mactatur. Contrà in funeribus hic ſeruatur à ruſticanis ritus: Defunctorum enim cadauera veſtibus & calceis induuntur & erecta ſuper ſellam locantur. quibus aſsidentes propinqui perpotant ac helluantur. epota verò ceruiſia, fit hiſce verbis lingua Ruthenica funebris lamentatio: *Ha lele i procz ti mene vmarl? i za ti nie miel ſzto ieſti, abo piti? i procz ti vmarl? ha le le, i za ti nie miel Kraſnaie mlodzice? i procz ti vmarl? id eſt, Hei hei quare tu mihi mortuus es? an non quod comederes vel biberes habuiſti? quare mortem obÿſti? hei hei mihi, num formoſa coniuge caruiſti? cur diem obiiſti?* Hoc modo lamentantes enumerant ordine omnia externa mortui bona, liberos, oues, boues, equos, anſeres, gallinas. ad quæ ſingula reſpondentes, occinunt hãc næniam: Cùm hæc habueris, quamobrem mortuus es? Lamẽtatione abſoluta, dantur cadaueri munuſcula. mulieri fila cum acu: viro linteolum collo eius implicatum. Cùm ad ſepulturam effertur cadauer, pleriq; equis funus proſequuntur, & ad currum obequitant, quo cadauer vehitur. Strictiſq; gladijs verberãt auras, vociferantes, Geigeite begaite pekelle. Eia fugite dæmones in Orcum. Qui funus mortuo faciũt, nummos proijciunt in ſepulchrum, futurum mortui viaticum. panem quoq; & lagenam ceruiſię plenam, ad caput cadaueris in ſepulchrum illati, ne anima vel ſitiat vel eſuriat, collocãt. Vxor verò tam oriente quàm occidente ſole, ſuper extincti coniugis ſepulchrum ſedẽs vel iacens, lamentatur diebus triginta. Cæterùm cognati celebrant conuiuia die à funere tertio, ſexto, nono & quadrageſimo. ad quæ animam defuncti inuitant, precãtes ante ianuam. Vbi tacitè aſsident menſæ, tanquam muti, nec vtuntur cultris: miniſtrantibus

Parentalia.

Dæmones fugantur.

duabus mulieribus,sed absq; cultris, cibumq; hospitibus apponentibus. Singuli verò de vnoquoq; ferculo aliquid infra mensam abijciunt,quo animam pasci credunt,eiq; potum effundunt. Si quid fortè decidat in terram de mensa,id non tollunt: sed desertis,vt ipsi loquuntur animis, quæ nullos habent vel cognatos vel amicos viuos,à quib.excipiantur conuiuio,relinquunt manducandum.Peracto prandio,surgit à mensa sacrificulus,& scopis domum verrens,animas mortuorum cum puluere,tanquam pulices,hęc dicens eijcit,*Ieli,pili,dufsice,nu ven,nu ven, Edistis inquit,bibistis, animæ,ite foras,ite foras.* posthæc incipiunt conuiuæ inter se colloqui & certare poculis, mulieribus viris præbibentibus, & viris vicißim illis,seq; inuicem osculantibus. Hæc de parentalibus paganorum, quorum & sanctus Augustinus sermone 15. de sanctis meminit:Miror inquit cur apud quosdam infideles hodie tam perniciosus error increuerit,vt super tumulos defunctorum cibos & vina conferant.quasi egressæ de corporib. animæ,carnales cibos requirant.epulas enim & refectiones,caro tãtùm requirit, spiritus autē & anima ijs non indigēt.Parare aliquis suis charis dicit,quod ipse deuorat.quod præstat ventri,imputat pietati.

De Religione Armeniorvm.

ARMENII à Thaddæo Apostolo, quem Christus ad Abgarum Regem Edessenorum, vt Eusebius lib. 1. historiæ tradidit, cum epistola ablegauerat, religionem Christianam se didicisse,arcam Noe sua in regione cōsedisse,genusq; humanum in ea propagatū esse gloriantur: Quod vt verum esse concedamus: fatendum est tamen, quædam illos, vt multos alios, minimè Apostolica in vsu habere. quæ rerum omnium conditio est, vt eæ procedente tempore, à sua origine degenerent atque deflectant. Extat fidei illorum in Deum satis orthodoxa formula, ab Abdia Prætorio Latina facta, Vitebergæ typis edita.Nobis hic sermo est de ijs,qui Leopoli in Rusia, vrbe regis Poloniæ, sedes pridem fixerunt suas. Viri honesti, humani,aperti,generosi,oris liberi,sed tamen cauti,elegantes,mundi,locupletes,vultu nitidi,barbis nigri, mercimonijs per orientales plagas dediti, in redimendis captiuis Christiani nominis, & dan-

& dandis eleemosynis liberales. habent Leopoli Episcopum: qui Anno nati mundi Seruatoris 1574. cùm Constantinopoli esset,ego cum duobus sacerdotibus (sunt autem sex) de Religione ipsorum collocutus sum.à Papa Romano, inde à temporibus Calixti,nihil accipiunt: nec eum pro capite Ecclesię agnoscunt.

Lingua vernacula, sacra sua obeunt. in liturgia Sacramentum eleuant: idemq; pro viuis & mortuis Deo offerunt ac in ciborio ægrotorum causa seruant. Processiones, quas vocant, non cum sacramento,sed in memoriam Christi, qui huc atque illuc itabat, faciunt ac retinent.matrimonia sacricolę hisce verbis, *Quos Deus coniunxit,ne homo seiungat*,confirmant.

In templis terna altaria habent.ad maius versi sese inclinant signoque crucis signant. Liturgias sacerdotes conducti pretio,vt conductoris mentio nominatim in eis fiat,celebrant.ante maius altare, itidem vt Rusi, vellum nigrum expandunt. vnde ij qui sacris operantur, ad populum prodeunt. prope hunc locum, qui chorus appellatur, mares,fœminę remotius ab eo supplicant:At Rusi simul cum mulieribus.imagines vtrique colunt.Armeniorum crebriùs quàm Russorum sacerdotes concionantur.

In Sacramento eucharistiæ, elementa naturas suas amittere negant. intinctum in calice panem similagineum, plebi porrigunt.Aquam vino non miscent. Sacramentum religiosiùs Rusis venerantur:persuasi Christum esse in illo, qualem Maria peperit; incarnatione semel facta,talem naturæ diuinæ cum humana coniunctionem societatemque esse,vt eæ ne tum quoque cùm pateretur, separatæ fuerint, nec vnquam separari poßint. Christum plus quiddam in liturgia pati, quàm in cruce perpessus sit, ex Chrysostomo hauserunt.id autem,corporis eius Sacramentalem fractionem dicunt. Quærente verò me ex illis,quo id fieret modo, siquidem naturæ panis & vini, etiam facta consecratione, immutatæ permanerent:vi diuina,respondebāt,cui fides habenda sit. Minus in eo sunt religiosi Rusi. quorū sacerdos ex allatis in templum grandib.panibus (adfert autem vnus vir, vel vnum *Oblationes.* vel duos vel tres, quos plascuras vocant) orbiculum Sacramenti causa excindit,ac consecrat. cuius panis eo excisi modo fit interdum tantus numerus, vt superet capita sumentium abijciaturq;

à Sacricola mucidus in angulum, aut terra obruatur, vel in alium conuertatur vſum. quod Armenij vehementer improbant. Sunt & ieiunia Armenijs duriora Ruſsicis. nam præter diem Mercurij & Veneris, quibus ſolis leguminibus veſcuntur, Ruſsis piſces quoq; addentibus, quotannis ter quadraginta dies ieiunant: ſi eſt ieiunium dicendum, quotidie ſemel edere. Moſis ieiunium ante natalem domini, Chriſti ante paſcha, Eliæ ante feſtũ crucis obſeruant. Templa in honorẽ ſanctorum ędificant. Beatam Mariam matrem Domini, ita vti alij mortales naſcuntur, conceptam natamque eſſe: ſed poſtea ſanctam factam, & vt Dei mater fieret ſemperque illibata virgo maneret, perſuaſum habent. Patrem, Filium & Spiritum S. eſſe Vnum Deum: Spiritum à ſolo Patre ad Filium, ab hoc ad Eccleſiam procedere ac mitti credunt. Omnia Biblia ſcripta admittunt. præter quæ, alia quoque multa & Canonem ſancti Iacobi, pro Apoſtolicis ducunt. non potuiſſe ad nos Occidentales multa ab Orientalibus ſcripta peruenire, ſed apud ſe plura eſſe autumant. Baptiſma ſacrum in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti accipiunt: ad quod infantes admittunt.

Tria concilia approbant, Nicenum, Epheſinum, Conſtantinopolitanum: at Chalcedonenſe reijciunt.

Sacerdotes illorum quemadmodum Ruſſorum, vxores ducunt. Attamen contenti eleemoſynis, nullas poſſeſsiones tenẽt, nec artes mechanicas exercent. Quorum vnus à me de Iuſtificatione hominis apud Deum, rogatus, reſpondit eam contingere operibus piis, videlicet precibus, ieiunio, eleemoſynis, de quibus ipſiuſmet Chriſti in Euangelio Matthæi præcepta exſtarent. Eadem de re interrogatus iunior, ſed ſapientior, id reſponſi dedit, ſolum Chriſtum vniuſcuiuſq; credentis iuſtitiam eſſe. tamen homines pietati incumbere debere: vt ex fructib. arbor vel bona vel mala eſſe cognoſcatur. Iidem aiebant ſe ab Henrico Gallo rege, ducentos florenos annui ſalarii, ad leuandam inopiam petiiſſe: quos promiſſos, clandeſtinus eius è regno exceſſus, (dies fuit vel potiùs nox 18. Iunij anni 1574.) non ſiuit habere.

IOHAN-

IOHANNIS LASICII,

DE INITIO REGIMINIS STEPHANI REGIS fortiſſimi.

AD GENEROSISS. VIRVM,

D. Io. Gaieroski, Surrogatum & Vicecapitaneum Poſnanienſem.

HENRICO in patriam, morte Fratris cognita, noſtris inſcijs reuerſo, (nox erat 18. Iunij, qua Cracouia exceſsit) ſedecim menſes conſumti ſunt, quibus nobis vanam ſpem ſui reditus faciebat. Tandem indictis Varſauię, Regi conſtantiori legendo, 8. Nouemb. 1575. comitijs, pars Senatus non exſpectato conſenſu Nobilitatis, cuius eſt magna apud nos auctoritas, MAXIMILIANVM IMPERATOREM 12. Decemb. pars Nobilitati adhærens, à Germano, metu Turcarum bellum minitantium abhorrenti, STEPHANVM BATORIVM de Somlio, Voiuodam Tranſyluaniæ Regem perendie pronuntiat. fit confeſtim ingens diſſenſio. Sed Equeſtris Ordinis conſentientis, potiores fuere partes. ac dum cunctatur, accitus à ſuis bonus MAXIMILIANVS, diſsidio inteſtino permotus: aduolat Cracouiam STEPHANVS, longo per Valachiam circuitu facto, 17. Aprilis, 1576. quingentorum ferè equitum Hungarorum, mille peditum iaculatorum comitatu ſtipatus, vir ad regendam, vel maximam Rempublicam natura factus. Is coronandus Kalend. Maij.

Duo Reges creati.

matrimonium contrahit cum ANNA SIGISMVNDI PRIMI filia, quam CÆSAR ducere non potuit. paucis post horis, diadema Regium ab Episcopo accipit Cuiauiensi, quod Archiepiscopus Gnesnensis cum Cæsare faceret. prius tamen iurat in leges omnium Regni Ordinum, ac in cōmune fœdus, pacis inter dissentientes Religione conseruandæ.

Stephanus coronatur.

Quarto ab hinc die, legati Lituanorum, Imperatorias partes tuentium auditi. deinde diuersæ factionis senatores, per literas commonefacti, vt Rege iam Dei voluntate coronato, ea sponte sequerentur consilia, quæ tranquillitatem reipub. adferrent, contraria vitarent. 22. die arcem Landscoronam, præfecturæ Alberti Laski Cæsari addicti, quassatis eius muris, per deditionem capit. 29. Varsauiam iter capessit, ad disturbandum postremum Cæsarianorum concilium, concordiæ cuiusdam causa ab Archimysta, primas in Regno tenente, indictum. mirabilis tum fuit Cæsaris fautorum ad Regem transitio, & varij redeundi in gratiam modi.

Cæsariani mutant consilia.

Data omnibus venia. *Quòd in libera Repub. nefas foret non esse libera suffragia.* Deo id beneficium vendicatum, quòd animis incolarum magnopere exasperatis, res ad arma non venit. Varsauiæ Lituanis Rex, & hi vicissim Regi, fidem suam sanctè obstringunt. Tum visa Tikocini SIGISMVNDI AVGVSTI relicta gaza. 26. die mensis Augusti Toroniam venit: penultimo Prussos ad dandum iusiurandum pellicit: breui post Alberto Fridricho Duce in Prussia hos secuto, soli Dantiscani Cæsari, diutius cæteris adhærentes, debita obsequia negabant; quibus rex, immissis iam ante in territorium illorum cohortibus, non paruam calamitatem intulit.

Interim MAXIMILIANVS, loco regni Sarmatici, 12. Octob. cœleste accipit. quæ ipsi dies finem molestiæ attulit ob heroem Batorium, in regno sibi prælatum. Rex prima, sex hebdomadarum comitia, tertio Decemb. absoluit. in quibus vniuersalis expeditio contra quemuis hostem patriæ constituta, bellum aduersus Dantiscanos. 25. Sepemb. Mariæburgiæ, regia sententia perduelles appellatos, decretum. priuata auxilia à senatoribus promissa.

Cæsar diem obit.

Vidimus

Vidimus hîc captos ab Hungaris Dantiscanorum Germanos pedites vendi denis florenis, alios pluris vel minoris. Inde Bidgostiam animo in bellum Moscoiticum intento digressus, ductis secum Ferbero & Rosenbergio consulibus, nihil non tentauit, vt Dantiscanum negotium absque Martis alea transigeretur. 25. Ianu. 1577. ad 40. capita petitionis ipsorum clementer respondit, & quæ potuit, concessit. At cùm postulata superbiora de singulari in leges illorum iureiurando, & oneribus quibusdam, non exspectato Comitiorum generalium tempore tollendis, id impedirent: bello 11. Febru. legitimè denunciato, frangendam esse ciuium mœnibus fidentium contumaciam statuit. Itaq; egressos portis 16. April. permultos, perendie facto conflictu 4427. cædit, mille capit. è suis, quorum dux erat Io. Sborouius, solùm 58. paulò pluribus sauciis amittit. 19. Maij Synodus Ecclesiasticorum habita Petricouiæ sancit, Anathema illum esse, & officio beneficioq; omni priuari debere, qui fœdus Interregni tempore 28. Ianuarij 1573. ad Varsauiam, reclamantibus ordine Ecclesiastico, & quibusdam Catholicis politicis, de pace inter Pontificios & Lutheranos perpetuò seruanda initum approbarit, defenderit eiq; consenserit. Rex Dantiscanos in proposito persistentes 12. Iunij obsidet. durauit tres menses obsidio, tam obsessis (licet fortiter se tuentibus) quàm obsidentibus, nonnihil attritis. Tandem per legatos 12. Principum Germaniæ 9. Decembris pace conciliata, oppugnati, imperium regis, leges illorum omnes approbantis, & religionis Lutheranæ vsum, vt omnibus alijs permittentis, agnoscunt, ducenta & viginti florenorum millia eidem intra quinquennium numerant. nihil in agro illorum erat, quod non miles biennij propemodum spatio corruperit. proinde magno illis isthæc peruicacia, ab irato peccatis Deo immissa, constitit. Deinde Rex, pacato statu Russiæ, superioribus mensibus incursione Tartarorum conturbatæ, 14. Octob. 1578. Leopoli Cracouiā redit: amicitiæ cum Danis, Suecis ac vicinis Germanis iungendæ studet. nihil aliud magis animo volens, quàm vt Moscos, Lituanis iniurios, coërceret. Siquidem hac cōditione Rex creatus, vt à Moscis occupata recuperaret, terminos regni prolataret, & ipse bella gereret.

Bellum Dantiscanum.

Confœderatio.

Conditiones Regis creati.

Inter hæc nouum tribunal, quod regem in bellis occupatum curis leuaret, & Petricouiæ maiorum Polonorum causa, & Lublini minorum, voluntate omnium instituitur: & nuncij de tanta strage Moscorum ad Kiessum arcem Liuonicam 24. Octobris, ductore Sapieha, adferuntur, vt in fugam versi, viginti tormenta grandia victori reliquerint. rursum solum eorundem ad 30. milliaria Germanica, prope Kerepetz & Derpt, duce copiarũ Christophoro Radziuilo, mense Februario 1579. euastatum, magnam militi prædam peperit. Quocirca Rex, eiusmodi successu animatus, egressus Cracouia in Lituaniam, Polotzco arcem munitissimam, 30. Augusti hosti adimit. nec maiori negotio capit cæteras, videlicet Crassne, Sitno, Cosſian, Turovvla, Socol, Sussa, Sieuies, Niscerna. Cæterùm, quò vires maiores audendi maiora facinora haberet, reuertit Varsauiam ad Comitia 22. Nouembris, relictis in confinibus Moscicis, cum exercitu Polono, Mielecio Podoliæ Voiuoda: cum Lituano, Radziuilo Vilnensi itidem Voiuoda, viris expertæ fidei ac virtutis. Venerunt eôdem legati Cæsaris Rudolphi, actum de fœderibus, quæ nobis sunt antiquitus cum familia Austriaca. dimissi voti compotes 21. Ianuarij 1580. Exacto viritim tributo, conscripta sunt 60. amplius selectissimorũ millia, æstate ad Czastnicum, 43. vltra Vilnam milliaribus lustrata. quibus per loca aquosa traducendis, pons est talis fabricatus, qui sex horis cuiuis fluuio, 80. nauibus subiectis, imponi, totidemq; tolli potest. hæ nunc copiæ, imperatore Ioanne Zamoiscio, Regni Cancellario litteratissimo, longè lateque effusæ, Moscouiam populantur, erepta fœliciter recuperant, iniurias vlciscuntur. nam res, nec per arbitros decidi, nec per conditiones componi potuit. 14. Martij anni superioris, Mosco pacem per legatos Cracouiam missos, & superbè se gerentes petenti, nunciari Rex iussit, redderet prius oues lupus deuoratas, tum demum pacem speraret. Habes lector pauca de inclyto rege Stephano, felici sydere electo: vt finis præfationi responderet. copiosius hæc, si vita suppetet, singulari scripto persecuturi.

Polotzco capta.

Initium belli Moscici.

FINIS.

Ecclesiast. Russ. Europ. [illegible]